
STOR

AD VIRGILIUM.

P. HOFMAN PEERLKAMP

S. P. D.

C. G. COBETO.

Petiisti a me, amicissime Cobete, ut, si qua haberem quae in vestra Mnemosyne edi possent, ea tibi concederem. Forte occupatus eram in legendis Virgilii Eclogis et Georgicis. Nam recuperata sensim valetudine, ut tamen vires superstites temperare debeam, quid melius facerem, quam, in hac ruris mei amoenitate salubri, animum rerum graviorum studio defessum, ita recrearem, curasque et cogitationes, quae non senes invitos saepe sollicitant, consolarer. Quamquam igitur Virgilium non ita legebam, ut in locis, etiam post centenos interpretes difficillimis, diu morarer, nonnulla tamen subito in mentem volabant, quae mollem et facetam Mantuani Musam fortasse magis decerent: sed ea annotare haud operae pretium ducebam.

Ecce autem tua mihi epistola: iucundissima illa, ut semper, et a te, nisi quod, tristitia et moerore paene confectus, mortem carissimi fratris quotidie metueres, vel potius in tanta salutis desperatione et aegrotantis cruciatu, optares. Frater tuus, tribunus militum, multis ille virtutibus excellens, rebusque, in India nostra Orientali gestis notus, adolescens diem supremum obiit. Qua pietate et constantia vere christiana desiderium tam dilecti capitis feras ex epistola cognovi, quam ad Hengelium, collegam nostrum, quum hic erat, scripsisti, et ille mihi tuo rogatu legit. Deus tibi, optime Cobete, faciat istam pietatem et constantiam perpetuas! Ego,

si quid umquam tibi petenti negare potuissem, nunc ut negarem, neutiquam a me impetrare potui. Ergo in Eclogis et Georgicis quae iam legeram, ea diligentius relegi, deinceps omnia legi, et tua caussa, quae animadverti, scriptis mandavi, ut vacuus aliquis in Bibliotheca Philologica Batava, tuae imprimis curae et custodiae credita, angulus impleatur.

ECLOGA I.

Multa sunt in hoc carmine, quae, ut verbo dicam, a Virgilio, quamvis adolescente, non exspectasses. Heynius, minime ille caeteroquin morosus ac difficilis, adeo etiam, ut omnia, quoad cum aliqua veri specie fieri posset, in bonam partem accipere nitatur, Heynius fere invitus ad vs. 30 fatetur „insidere in istis nescio quid invenusti et incompti, quamquam et alia in hoc primo carmine paullo ieiunius dicta videri possunt."

Quam caussam huius rei esse dicamus? Virgilium in prima Ecloga nescivisse poësin Latinam, quam statim in Ecloga secunda, in sequentibus, et deinceps in Georgicis et Aeneide, optime sciverit, cuius exemplum factus sit? Si Octavianus, Maecenas, Pollio, Varius, Gallus, alii, talem primam Eclogam legissent, desperassent, credo, de adolescente, qui in haud paucis sat bonis, tam multos malos versus reliquisset. Dicamus multos versus manu aliena Virgilianis esse insertos, ut insertum esse vs. 18, et alios in aliis Eclogis, auctoritate Mss. et omnium interpretum iudicio confirmatur? An, negligentia et inscitia librariorum corruptos et depravatos? Sentiat quod quisque aequum putet, et pro vero accipere possit. Ego versus istos notasse, et hic illic, quod Virgilius scribere potuisset, divinare, satis habebo.

I. 20. 22.

Urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere foetus.

Burmannus *depellere* nimis violentum putat, quia agni tenelli a pastoribus portantur, et coniicit *quoi depellere*, hoc est *lacte depellere.* Heynius vulgatam defendit, quia, qui iam lacte

depulsi lanio tradi solent, haud dubie etiam *depelli* possunt. Neque ego assentior Burmanno. Nam Virgilius ovium foetus non *tenellos* sed *teneros* appellat, quod in hac caussa iam nonnihil differt. Et omnino talia epitheta ex loci sententia intelligi oportet. Si pastor agnam in *sinu fert*, ut est apud Tibullum, ex eo ipso apparet, quam tenera sit, et, matre oblita, auxilio hominis carere non possit. Et Tityrus recte utitur verbo vehementiore, urbem ingratam increpans, quo teneros ovium foetus *depellebat*, quamvis tam longa via eundo vix pares. Equidem in istis, quae videntur, minutiis, iudicium et elegantiam Virgilii saepe agnovi. Potuisset hic scribere *teneros deducere foetus*, ut Torrentius in suo Cod. invenit. Et recte quidem scripsisset, sed sine invidia et contumelia, quae nunc animum pastoris commotum decet.

I. 23, 24.

Sic canibus catulos similis, sic matribus hoedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.

Ego stultus, inquit, putavi Romam esse similem Mantuae. Sic noram catulos esse similes canibus, sic magna cum parvis componere solebam. *Sic*? Tam *stulte*? Tam stulte *noram*? Est tamen similitudo inter catulos et canes. Sed audiamus Servium, qui, postquam nonnulla dixerat de differentia magnitudinis et generis in comparatione, haec addit, „putabam, inquit, ante, ita Romam comparandam esse aliis civitatibus, ut solet hoedus caprae comparari: nam, quamvis maior esset, tamen eam civitatem esse ducebam: nunc vero probavi eam etiam genere distare: nam est sedes deorum." Haec si vera sunt, ut esse verissima puto, Virgilius scripsisse et Servius legisse videtur:

Ut canibus catulos similis, ut matribus hoedos
Noram, sic parvis componere magna solebam.

I. 25, 26.

Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Dubitari potest, an *solent* sit Virgilii. Nam et vs. 21 legitur *solemus*, et vs. 24 *solebam*. Scio et alibi repetita brevi intervallo vocabula inveniri. Sed talis negligentia, ut optimos interpretes semper offendit, ita Virgilium non offendere non

potuit. Ipse, credo, ubi animadvertit male iterata vocabula, emendavit, nonnulla reliquit, emendaturus, si iustum vocabulum reperisset, pauca imprudens omisit, plurima autem aliorum culpae sunt tribuenda. Nam incredibile dictu est, quid librarii in describendis codicibus sibi permiserint. Hemsterhusius ad Propertium ed. Burm. p. 923, de huiusmodi repetitione annotavit, quod ad rem nostram pertinet. Propertius I, II, 10—14 scripsisse dicitur:

Adspice, quot submittat humus formosa colores,
Et veniant hederae sponte sua melius:
Surgat et in solis formosius arbutus antris
Et sciat indociles currere lympha vias.

Formosa et *formosius* iam N. Heinsio et Bentleio displicebat. Hinc coniecturae. „Equidem, inquit Hemsterhusius, haud ignoro multis emendationibus istam vitandae repetitionis necessitudinem praetexi, neque intercedo quo minus in quibusdam locis valeat. Idem tamen affirmare non vereor, quantumvis delicatulas ac fastidiosas aures hoc quasi vitium offendat, haud pauca vel in ipso Propertio reperiri loca, ubi vocis intra brevem orationis ambitum repetitae correctionem nemo sine magna temeritatis culpa tentare sustineat." Prudentissima sane admonitio, si vir magnus paullo magis iniuriam librariorum accusasset. Vel ipse Propertius sit testimonio. Nulla enim poëtae Romani carmina tam corrupta in singulis versibus, et tam male apta inter se et connexa accepimus. Quod I. Scaligerum et alios movit, ut, multis transpositis, meliorem ordinem invenire conarentur. Praeterea mille virorum eruditorum coniecturae satis indicant, quid de Elegiis Propertianis, ut nunc sunt, iudicent. Si ipse Propertius, quamquam sublimi ingenio, cogitata tantis tenebris involvisset, nomen poëtae non mereretur. Sublime et perspicuum bene conveniunt et in sede eadem morantur. Si sua ipse carmina videret, qualia nos nunc legimus, quam multos versus non agnosceret! Hic certe non agnosceret *formosius*, quia praecessit *formosa*. N. Heinsius, Bentleius, Santenius, Burmannus, Lachmannus, et quis non? offenduntur vocabulis sine vi et gratia repetitis. N. Heinsius certe unus est instar omnium. Nam et merito sospitator poëtarum Latinorum ap-

pellatur, et ipse tam excellens est poëta, ut nesciam fere, cui veterum eum postponere debeamus. Hinc igitur coniecturae cum Heinsii, tum aliorum, *frondosior arbutus*, *animosior*, *pomosior*, *felicius*, et fortasse plures. Ego etiam conieci:

Surgat et in solis sua fortius arbutus antris.

Arbutus, quae sponte ex terra antri crevit, propria est antri, antrum hanc habet *suam*. Ea pronominis significatio saepe ab interpretibus illustrata est. Tales autem arbores, quod et nos novimus, et Virgilius noverat, Georg. II, 47. *Sponte sua quae se tollunt in luminis auras, Infoecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt.* Ita apud Propertium arbutus *fortius surgit*. Quae ex istis coniecturis manum illius retulerit, nemo praestabit. Sed eum scripsisse *formosa* et *formosius*, pauci, credo, verosimile putabunt.

Sic, ut eo redeam, equidem haud credo, Virgilium scripsisse tam brevi spatio separata *solemus*, *solebam*, *solent*. Omitto *solemus* et *solebam*: hic certe *solent* nemo, si abesset, desideraret. Si Virgilius scripsisset: *Quantum lenta inter solidae viburna cupressi:* quis aliquid ad comparationem deësse arbitraretur? Comparatio *catuli et canis* ad discrimen inter Romam et Mantuam significandum, non sufficit. Melior iam est *cupressi* et *viburni lenti*. Optima esset, si, ut *viburnum* habet epitheton qualitatis, itidem haberet *cupressus*. Viburna sunt parva, cupressi magnae: viburna *lenta*, exigui pretii, quod ad lignum attinet, cupressi *solidae*, magni pretii, quod ad lignum, et multi usus. Vide scriptores Rusticos et Plinium.

I. 28—31.

Libertas: quae sera, tamen respexit inertem;
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Viri docti *sera tamen*, et alia variis modis distinguunt. Sed quo modo cumque distinguas, repetitum *respexit tamen* metri potius caussa repetitum videtur, quam ut aliquam vim ostenderet. Simplex, et Latina oratio erat:

Libertas, quae sera quidem respexit, inertem
Respexit tamen, et longo post tempore venit,
Candidior quum iam tondenti barba cadebat.

In oratione prosa saepius verbum semel ponitur: ut, *Libertas: quae sera quidem, tamen respexit:* et omisso *quidem*, *Libertas: quae sera, tamen respexit.* Vide Arntzen. ad Plinii Panegyr. 31. Sunt et aliae formae, ut: *libertas, quae, si sera, tamen respexit*, et *quae, quamvis sera, tamen respexit.* Graeci ἀλλά. Sophocles Trachin.

Ἔδωκας ἡμῖν, ἀλλὰ σὺν χρόνῳ, χαράν.

Quum iam, melius quam *postquam*, quod statim iteretur:

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Si tamen iste versus sit Virgilii. Amaryllidem iam esse amicam Tityri, satis intelligitur ex vs. 5, et 32. Et magis consueti moris est, *Tityrus habet Amaryllidem,* quam *Amaryllis Tityrum*, ut alibi *tu Phyllida solus habeto*, et Theocritus Eid. II, πᾶσαν ἔχει με τάλαιναν ὁ Μύνδιος. Atque illud nunc potius est, quia Tityrus Galateam accusat, quasi caussam neglectae a se libertatis et curae peculii. Servius: „quando coepit secare barbam, et, *Galatea relicta*, Amaryllidis amore detineri." Virgilius potuisset: *Galatea relicta est.*

I. 36.

Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

Cur, aut quomodo pastor aes, pretium rerum venditarum, dextra, non in zona gestabat? Tribui fortasse potest nimiae simplicitati. Quamquam melius auctor Moreti 79. *Nonisque diebus Venales olerum fasces portabat in urbem: Inde domum cervice levis, gravis aere, redibat.* Et Columella X, 310. *Aere sinus gerulus plenos gravis urbe reportet.* Bene ille in Moreto ex urbe redit cervice levis, fascibus olerum, at gravis cervice, pondere aeris. Crumena, ut notum, saepe collo dependebat. Hortulanus Columellae habet aes in sinu. Unicum, quod vidi, exemplum, est inter Priapeia Anthol. Burm. T. II, p. 568. *Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit aere dexteram.* Sed auctor istius carminis, quicumque demum sit, profecto neque Catullus neque Virgilius est, sed multo recentior, atque hic vidit *gravis aere domum mihi dextra redibat.* Praeterea hoc rogo: cur Tityrus nunc accusat *urbem ingratam*, qui modo accusasset Galateam abiectae a se spei libertatis et curae peculii? Si non tantum Galatea, verum etiam urbs pastorem adeo inertem fecerant, omnino

in vs. 34, *Quamvis multa meis exiret victima saeptis*, particula *et* requirebatur. Quid denique in his et similibus sit Allegoricum, quid non, divinare haud scio, neque in istis tenebris mico.

I. 40.

Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bissenos cui nostra dies altaria fumant.

Mensis fortasse, vel paullo plus, erat, ex quo Tityrus libertatem acceperat. Quomodo iam altaria quotannis singulis mensibus *fumant?* Semel fumasse potuerunt. Quamquam vs. 7, 8, dicit *imbuet*, non *imbuit: illius aram Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.* Ad eam rationem nunc postulatur *fumabunt*, vel aliud, quo futurum tempus significetur. Hoc, credo, coniunctivus modus faciet: *Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis Bissenos cui nostra dies altaria fument.* Cui altaria fumare fas est, fumare debent, fumabunt. Antecedentia *saepe imbuet*, nunc per *bissenos dies quotannis* auxit. Magis tamen Latinum esset:

Hic meritum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bissenos cui nostra dies altaria fument.

Ipse Virgilius: *meritos aris indicit honores.* Nonnulli fortasse interpretabuntur *fumant* pro *fumabunt*, quia saepe praesens vim habet futuri. Sed talium exemplorum alia est ratio, quae hic valere non potest.

I. 46.

Pascite, ut ante, boves, pueri: submittite tauros.

Agnus *submittitur ovi*, ut lac ducat: *vacca submittitur tauro*, ut impleatur: *Taurus submittitur*, hoc est, servatur, alitur, ut admissarius sobolem procreet; tandem mactetur, vel aret. Ita scriptores de re rustica hoc verbo utuntur; vide Lexicon ed. Gesner. Ita ipse Virgilius III. Georg. 159. de vitulis: *quos aut pecori malint submittere habendo Aut aris servare sacros, aut scindere terram.* Si ista verbi significatio huic loco conveniret, tacerem. Sed, quando iuvenis ille hic dicit: *Pascite, ut ante, boves, pueri:* concedit pastoribus, ut, sicuti solebant, vitam continuent, et quotidie faciant, quod sua res exigebat. Eo pertinet *boves pascere*, non pertinet *tauros submittere.* Tauri vituli semel eligebantur, et sic ipsi crescebant, sine

cura pastorum, admissurae, aris, vel arationi. Quominus *tauros submittere* accipiatur de aratione, impedit etiam omissum *aratro* vel *iugo.* Vera huius loci sententia omnino postulat, ut pastores dicantur *suas boves pascere, et curare ut nova semper proles nascatur.* Talis autem sententia non est in *tauros submittere.* Nullum adhuc simile exemplum ostenditur, nisi in Nemesiani Cyneg. 114. de cane femina: *Huic parilem submitte marem.* Submittit marem feminae. Potuisset: *Hanc parili submitte mari.* Sed Nemesianus, Calpurnius, et alii huius generis poëtae, toti a Virgilio pendebant, carebantque omni fere rectae Latinitatis sensu, adeo etiam, ut vel corruptis Mss. lectionibus in vitium traherentur. Putavit, credo, Nemesianus, *submittite tauros,* idem esse atque *admittite tauros* bubus. Virgilius scribere potuisset: *Pascite, ut ante, boves, pueri, admittite tauros.* Amasse videtur tales hiatus: quod saepe non intelligentibus librariis caussam loci corrumpendi praebuit. Heinsius cum ad Eclog. II, 53, tum alibi, saepe ostendit. Tamen Virgilium scripsisse puto:

Pascite, ut ante, boves, pueri: submittite tauris.

Atque haec emendatio tam facilis est, ut, cum nemini, quantum scio, in mentem venerit, propemodum dubitare cogar, an non aliquid obstet, quominus accipiatur. Quum vero *bos* et *vacca* promiscue ponantur, et *bos gravida* inveniatur, non video, quid obstare possit.

Quod ad versum Theocriti Eidyll. IX, 3, attinet, Μόσχως βωσὶν ὑφέντες, ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως, quem nonnulli afferebant ad defendendum *submittite tauros,* in eo iam omnes praeferunt ἐπὶ στείραισι, et recte monet Schaeferus, aliud esse ὑφιέναι, aliud ἐφιέναι.

I. 52—56.

Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontis sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite, saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro:
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;

Haec, etiam post multas literatissimorum hominum interpretationes et coniecturas, manent difficillima. Quidquid tentes,

quocumque te vertas, vocabula *quae semper* non ita explicabis, ut manus Virgilii possit agnosci. Nihil restat, nisi divinatio. Divinavi:

Hinc tibi aquae strepitu, et vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.

Hinc aquae suo strepitu, et vicina saepes susurro apum, tibi suadebit inire somnum. *Aquae* sunt fluminum et fontium. *Strepitus, strepere, obstrepere,* de *aquis, lymphis, fontibus,* notum. Una litera addita saepe corruptelam sustulit. Hic mihi in mentem venit Ovidii Heroid. VII, 139.

Sed iubet ire Deus: vellem vetuisset adire;
Punica nec Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce, nempe Deo, ventis iactaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto!

ubi legendum censeo:

Hoc duce nempe adeo ventis iactaris iniquis!

De Deo, quod dicis, mentiris. Deus te ire non iussit. Si iussisset, meliorem habuisses ducem, neque adeo ventis fuisses iactatus.

I. 60, 64.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore piscis:
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Multa in his castigato poëta Romano haud satis digna mihi videntur. Iam primum oratio Meliboei, quinque versibus omissis, longe elegantius continuaretur. Deinde, quibus modis ea abrumpitur! Ante fient, inquit Tityrus, quae fieri non possunt, quam vultus Octaviani ex meo pectore labatur. Exilis sane animi grati significatio, postquam eum, vs. 6, iam appellaverat *Deum,* cui sacra faceret, cui, vs. 43, quotannis duodecies altaria fumarent. Quî tandem oblivisci poterat illius, quem singulis mensibus, tamquam praesens numen veneraretur? De solo *vultu* accipi non potest. Nam ea animi grati declaratio etiam esset tenuior. Et sic aliquid de blando et amico vultu, quo eum Octavianus exceperat, praecessisse

oporteret. Iam illud, quod rerum naturae repugnat, variis modis exprimitur. Frequentissima ratio, ut est simplicissima, petitur ex antithesi maris, et terrae. Iam Sosicles Corinthius apud Herodotum V. 92, dicebat: *οἱ ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι, καὶ οἱ ἰχθύες τὸν πρότερον ἄνθρωποι.* Latini poëtae animal terrestre solent opponere marino, ut h. l. *cervi* opponuntur *piscibus*. Cervi *in aequore* (nam hoc praeferendum puto alteri *in aethere*) *pisces in litore*. Hoc est, quod Propert. II, II, 7, canit: *Quaerebam sicca si posset piscis arena Nec solitus ponto vivere torvus aper. Vivere* est *νομὸν ἔχειν*, *pasci*. Virgiliano *cervi pascentur in aequore*, responderet *pisces in litore*, vel, addito verbo, ut *pisces in litore vivent:* et poëta scribere debuerat, v. c. *Et nudi sicco vivent in litore pisces.* Sed *freta destituent pisces in litore* non respondet antecedenti *cervi pascentur in aequore*. Requiritur aliqua ipsorum animalium voluntas et studium, ut *amare* dicantur aliam vitam, quam cui nata sunt: *ametque salsa levis hircus aequora,* dicit Horatius. Sic apud Archilochum cervo sunt *ἠχήεντα κύματα φίλτερ' ἠπείρου, δελφῖσι δ' ἡδὺ ὄρος.* Quid autem *freta destituunt pisces in litore?* Nulla in eo piscium voluntas cernitur. Destituuntur sane *inviti*. Neque res ipsa adeo est inaudita. Quoties freta, in magna tempestate, in subito aliquo praeter solitum refluxu nudos pisces destituunt! Versus plane esset accommodatus delphini vel balaenae in litus Catvicense eiectae. De *finibus pererratis*, de *Arari*, caet. nihil dicam. Interpretes satis reprehenderunt. Reprehensio plerumque tamen desinit in Virgilium excusandum, iuvenili scilicet aetate, quum animum ad componenda Bucolica appellebat. Huiusmodi additamenta venerunt ex officina poëtarum Grammaticorum et Scholasticorum. Novimus Phocam et alios, quorum *praeconia* leguntur in ed. Burm., novimus auctores Culicis, Ciris, Moreti, alios, quorum multi vivebant in aula Caroli Magni, et antiqua nomina gerebant.

I. 65—67.

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros;
Pars Scythiam, et rapidum Cretae veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Ego notitiam aliquam geographicam a personis pastorum non

adeo alienam arbitror. Nam saepe veniebant in urbem, ut Meliboeus Mantuam, ubi de Africa, Scythia, Britannia audiebat. Multi quoque erant rustici ex militia reduces, qui de peregrinis regionibus narrabant. Idem nos vidimus tempore Napoleonis I. Sed de *Oaxe Cretae* quid dicam, nescio, nisi, non intelligo. Caeterum locus, paullo aliter distinctus, erit fortasse dilucidior:

At nos? Hinc alii sitientes ibimus Afros;
Pars Scythiam, et rapidum Cretae veniemus Oaxem,
Et penitus toto divisos orbe Britannos?

Tu, senex fortunate, placida quiete frueris. At nos? Quid, agris nostris eiecti, faciemus? Quo nos conferemus? Alii fortasse in Africam, alii in Scythiam, alii in Britanniam? Hic enim manere non possumus. Meliboeus et antea, et nunc, et deinde loquitur interrogative, quia loquitur magno dolore affectus. Hic interrogatio propterea quoque melior est, quia nesciebat, quo ipse proficisceretur, nec de aliis, quo essent profecturi, statuere poterat. In tali dubitatione commemoratio Africae, Scythiae et Britanniae non offendit, etiamsi quartum peregrinae regionis nomen addidisset, modo non *Oaxem Cretae*. Britannia recte postrema nominatur, quam Romani, milites etiam, maxime timerent. Erat ignota, et extra orbem.

I. 68—70.

En, unquam patrios longo post tempore finis,
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?

Diversae interpretationes difficultatem testantur. Qui in una earum acquiescere possit, acquiescat. Ego non possum. *Longo post tempore* et *post aliquot aristas*, idem est atque, *post longum tempus* et *post aliquot annos*. Conieci:

Pascuaque, et, mea regna, videns, mirabor aristas?

En, unquam longo post tempore videns patrios fines, et casam, et pascua, et aristas (quae mea regna sunt, quae aristae me rege beatiorem faciunt, quarum adspectu regno et triumpho), has mirabor, tam laetas adspiciam, ut nunc adspicio. Ergo subiungit: *Impius haec, tam culta novalia miles habebit, Barbarus has segetes?* Meliboeus enumerat, quae esset

relicturus, nempe patriam, in qua pagum, in pago autem *tugurium*, *pascua* et *aristas*, illa novalia, illas segetes. *Pascua* abesse non possunt. Si quis inspicit scripturam antiquissimi Codicis ex Bibliotheca Medicea, cuius particula repraesentatur in ed. Burmanniana, is non mirabitur PASCUAQUET corrumpi potuisse in POSTALIQUOT.

ECLOGA II.

Tituli varii huius Eclogae feruntur. In Leid. Cod. *carmen vel micticon; Poeta, Corydon.* In Vossiano: *Coinon vel Miston.* Heynius ista coniicit esse corrupta ex κοινὸν et μισητὸν, hoc est, *impurum et libidinosum.* Ego verum puto: κοινὸν *vel* μικτόν. Idque in utroque Codice. *Mistum* est, in quo et narrat poëta, et alios facit colloquentes. Scaliger de Poëtice I, p. 13, hoc Graece dici μικτὸν laudat, κοινὸν improbat. Quare, huc non pertinet.

II. 12, 13.

At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

Hoc est *arbusta resonant cicadis, sicut ego resono cicadis.* Haud aliter *mecum* a Virgilio usurpatur. I Georg. 41. *mecum miseratus agrestes:* ut ego miseror. VI Aen. 718. *Quo magis Italia mecum laetere recepta:* ut ego laetor. Atque ita est in aliis exemplis. Sed *ego resono cicadis* intelligi non potest. Florens Christianus primus, ni fallor, vidit locum esse corruptum, et *mecum* divisit: *At me cum raucis* —— *resonant arbusta cicadis.* Heinsius, cui idem in mentem venerat, exemplis illustrat duobus ex Virgilio petitis, quae tamen non sunt eiusdem generis. Nam in uno silvae *resonant Amaryllida*, in altero Circe *resonat lucos.* Videamus, quibus modis Virgilius isto verbo praeterea utatur: *virgulta resonant avibus*, *aedes resonant plangoribus*, *examina resonant e quercu*, et *litora resonantia.* Iam recte diceretur: *arbusta resonant cicadis*, et *arbusta resonant cicadas*, nisi obstaret *mecum.* Nam hoc esset: *ego et arbusta resonamus cicadis.* Nec melius procederet *arbusta resonant me cum cicadis.* Quid enim significat, *arbusta* et

cicadae me resonant? Nec multum iuvamur, si *me* per casum sextum interpretàmur. Quare Virgilium scripsisse arbitror:

At mecum raucae, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadae.

Hoc Latinum et perspicuum est. In meridiano ardore lustro tua vestigia, ·et canto; cicadae mecum resonant silvas. Caeterae aves silent in ardenti aestu. Sic Virgil. VII, Aen. 12. *Dives inaccessos ubi solis filia lucos Assiduo resonat cantu.* Silius Ital. XIV, 29. *sacras qui carmine silvas Quique Syracosia resonant Helicona Camena.* Claudian. IX, 22. *Reginam resonant Othrys et Ossa Thetin.* Virgil. III, Georg. 328. pro *resonant* alio verbo utitur: *Et cantu querulae rumpunt arbusta cicadae.* ubi potuisset, *resonant.* Sed non amat eadem repetere. Locum Virgilii ante oculos habuit Nemesian. Eclog. IV, 38—42. *Vocat aestus in umbram: Iam pecudes subiere nemus, iam nulla canoro Gutture cantat avis, torto non squamea tractu Signat humum serpens. Solus cano, me sonat omnis Silva, nec aestivis cantu concedo cicadis.* Quidquid caeteroquin in istis reprehendas, versus obscuri non sunt. Ego non concedo cicadis cantu, cano *cum cicadis*, ut Virgilius, *cicadae mecum.*

II. 25—27.

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
Iudice te metuam; si nunquam fallit imago.

Alexis despiciebat Corydonem. Ergo illi iudex in hac caussa potius erat recusandus. Tamen Alexin non metuit. Virgilius, credo, aliquid addidisset, quale v. c. Eclog. IV, 58. *Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.* Ego non metuam Daphnim, *vel te, te ipso, etiam te* iudice. Iam *si nunquam fallit imago,* quomodo interpretemur? Servius: „Nulla enim res ita decipit, quemadmodum imago. Nam et in speculo contraria ostendit universa: et in aqua remum integrum quasi fractum videmus.” Servius igitur dubitantem facit pastorem, an ex imagine recte de sua forma iudicare posset: quod sane contrarium est fiduciae, qua se non adeo informem esse, nec iudicem Alexin timere, affirmaverat. Spohnius: „Non informis sum; vidi me in litore, et imago non fallit.” Ita pastor non dubitat. Et ea sententia postulatur: sed an *si nunquam*

fallit imago eam sententiam declaret, ego dubito. *Nunquam* ostendit Corydonem etiam magis incertum, an vera esset imago. Fortasse poëta dedit:

non ego Daphnim,
Iudice me, metuam; sic nunquam fallit imago.

Iudice me, decens pastorem simplicitas, et iactantia. Polyphemus apud Theocritum Eidyll. VI, 34 sq. Καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι. Ἦ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, (ἦς δὲ γαλάνα). Καὶ καλὰ μὲν τὰ γένεια, καλὰ δ' ἐμὶν ἁ μία κώρα (Ὡς παρ' ἐμὶν κέκριται) κατεφαίνετο. Et alibi, quamquam in alia caussa, κατ' ἐμὸν νόον. Ovid. XIII. Metam. 840. *Certe ego me novi liquidaeque in imagine vidi Nuper aquae: placuitque mihi mea forma videnti.* Dices fortasse, o Alexi, imago, quam aqua reddit, est fallax. Sic, adeo tamen, tam mendax hoc speculum esse non potest. Ita nunquam decipit. Possum huic speculo credere. In eadem re pastor Calpurnii II, 84, 85. *Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis? Decipiorque miser, quoties mollissima tango Ora manu?*

II. 71, 72.

Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco.

Omnem lapidem moverunt, ut ista intelligerentur. Marklandus legebat: *potior quorum indiget usus.* Offendit inprimis *saltem potius.* Una ex facillimis emendandi viis initur per transpositionem literarum. Quid igitur, si ex SALTEM vel SALTIM, ut in multis Codd. legitur, facimus LENTIS? Nemo non versum Virgilianum agnosceret, si vel in uno Ms. appareret:

Quin tu aliquid lentis potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco.

Quin tu potius ex lentis viminibus et molli iunco paras aliquid, quorum usus indiget. Elegantius *vimina* habent epitheton, ut *iuncus* habet.

ECLOGA III.

III. 108—110.

Non nostrum inter vos tantas componere litis:
Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulcis, aut experietur amaros.

Fieri aliter non potuit, quin multa nobis in huiusmodi Allegoriis essent obscura. Solus Pollio, Virgilius, et amici et inimici intellexere. Hoc, credo, apparet, significari certamen de amore Pollionis erga Virgilium et alium poëtam. Ego primam tantarum tenebrarum caussam invenisse mihi videor in vs. 88.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.

Si ibi legas: *Quem tu, Pollio, amas, veniat, quo te quoque gaudet*, et hic, transpositis *amores* et *amaros;*

Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amaros
Aut metuet, dulcis aut experietur amores.

aliquam fortasse lucem nanciscemur. Sententia totius loci huc redit. „*Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam*, dicit vs. 84, Damoetas, hoc est; Virgilius: Gratus propterea eum colam, et in carminibus meis laudabo. Respondet *Menalcas:* Pollio ipse est egregius poëta. Ergo laudari non debet a mediocri poëta, qualis tu es. Tu vitulam illi sacrificabis? Meretur taurum. *Damoetas*: Pollio tamen me amet: qui a tanto poëta amatur, ista laude et exemplo incitatus, tandem in re poëtica eo pervenire poterit, quo Pollionem pervenisse gaudet. Illi omnia succedent, quae tentabit. *Menalcas*: Tua carmina quis amet? Nemo, nisi qui omni iudicio caret. Quis ferat Bavium, nisi qui amet Maevium! Tu es Bavius. *Damoetas:* Tu dolo malo uteris, ut me ex insidiis perdas. Invides mihi. *Menalcas;* Imo tu." Iam Palaemon iudex certamen finit: „Tantas lites, inquit, quantae sunt, quae de amore Pollionis agitantur, utrum ille alteri praeferat, ego non componam. Damoetas dignus est laude, dignus est Menalcas, digni estis *vitula*, digni sunt, quicumque metuat a Pollione contemni, atque adeo carmina componat, quae non ab eo contemnantur, aut, quod maius, amentur. Ipse Pollio maior est omnibus, et meretur taurum." Virgilius in hac

Ecloga laudat Pollionem optime de poësi, in sequenti Ecloga, optime de re publica meritum.

Varias interpretum opiniones, quarum relatio librum impleret, non attigi. Si una ex illis mihi esset eligenda, eligerem Philippi Wagneri.

ECLOGA IV.

IV. 11, 12.

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

„*Inibit*, dicit Heynius, pro *cursum inibit*, incipiet. Inire quidem absolute ita positum non occurrit: participium tamen nunquam non ita dicitur: *ineunte anno, mense; iniens aetas:* quidni etiam *annus init?*" Ego in hac caussa non quaerendum puto, quid dici possit, sed quid dictum sit. Si dictum esset a probato scriptore *decus, gloria, ea res init*, inveniremus aliquod exemplum. Adhuc non inventum est, ne in minus quidem probato scriptore, qui exemplum antiquioris imitari potuisset. Quare locus mihi depravatus esse videtur, sic corrigendus:

Tuque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibis
Pollio, et incipient magni procedere menses
Te duce. Si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.

Tam rectum est, *tu inibis aevum* quam pulchrum et exquisitum est, *tu inibis, te Consule.* Cicero de Divinat. I, 2. *astrorum volucres te Consule motus Tu quoque vidisti.* Claudian. II. Eutrop. Praefat. 9. *Illatas Consul poenas se Consule solvit.* Auson. Protrept. 100. *Speresque tuos, te Consule, fasces.* Talia sunt *me duce, me milite, me imperatore, auctore*, hoc feci. Praeterea venustius *menses incipient procedere duce* Pollione, quam *terrae formidine solventur duce Pollione.* Pollio *ducit* istos menses, menses eo Consule veniunt. Et Consul *ducit* annum, est *ductor* novi anni. Claudian. Prob. et Olybr. 9. alloquitur Phoebum: *saepe soles, ductoribus illis, Instaurare vias, et cursibus addere nomen.* Probum et Olybrium, Consules, vocat *ductores.* Et

Pollio erat Consul designatus, ut dicit Servius, ideo *inibit* non *iniit*.

Superest altera difficultas, nempe in *sceleris vestigia nostri irrita*. *Scelus* vocat necem I. Caesaris et bella civilia inde orta. *Vestigia calcantur, delentur, tolluntur*, sed quomodo fiunt *irrita*, et quis unquam ita locutus est? Servius quidem interpretatur *ad nihilum deducta*. Recte quidem: et hoc est, facere ut non amplius appareant, fiant ἀφανῆ, ἴχνια ἀφανισθέντα. Vix autem *scelera* bene dicerentur *irrita*, nedum *vestigia*. Melius est OBRUTA, quam IRRITA.

si qua manent sceleris vestigia nostri,
Obruta perpetua solvent formidine terras.

Bella civilia, praesertim orta ex nece tanti viri, sunt scelus, et scelera pariunt. Etiamsi ipsum scelus, ipsa bella civilia cessent, tamen relinquunt vestigia, eaque alta et profunda. Formido non prius terras relinquet, quam illa vestigia sunt *obruta*. Proprie *obruuntur* iniecta terra, figurate omnibus caussis novi belli sublatis.

ECLOGA V.

V. 18.

Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

Illud *iudicio nostro* mihi nimis pedestre videtur, et in Virgilio vix tolerandum. Plus semel in his Eclogis scribit *iudice me, te*: et hic scripsisse puto:

Iudice me noster tantum tibi cedit Amyntas.

Menalcas vs. 5, laudaverat Amyntam. Mopsus vs. 6, aegre tulerat. Nunc Menalcas Mopso satisfacit, et Amyntam, licet minorem Mopso, tamen suum et Mopsi amicum nominat, hoc est, *nostrum Amyntam*, ut in sq. *Daphnim tuum*.

V. 27, 28.

Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.

Versus impediti, in quibus explicandis interpretes variis modis operam collocarunt. Fortasse sic legendi sunt:

Daphni, tuum Poeni etiam ingemuere leones
Interitum: montesque feri silvaeque loquuntur.

Leones etiam ingemuere, ut (quae praecedunt) pastores non *egere*, quadrupes non *libavit*, neque *attigit*. Montes adhuc *loquuntur interitum* tuum, quasi lugentes memorant, et tristi sonitu declarant. Nemesian. Ecl. I, 74. *Respondent silvae. Te nostra armenta loquuntur.* Vide Heins. ad Eclog. VIII, 22. qui non omisit illud Theocriteum: *'Αλλήλαις λαλέουσι τεὸν γάμον αἱ κυπάρισσοι.* Pulcherrima est prosopopoeia in Psalmo XIX, 1—4. *Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ, ποίησιν τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα κτλ.* Hiatus in *Poeni etiam* corruptelam peperisse videtur. Idem et alibi, et factum in Eclog. X, 13. *Illum etiam lauri, etiam flevere myricae.* Sic optima Mss. In multis insertum est *illum*, ut metro scilicet consuleretur: *Illum etiam lauri*, illum *etiam flevere myricae.*

V. 50—52.

Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus: Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

Scripsi *Daphninque*, ut edidit Burm. et alii. Omitto disputationes de forma talium accusativorum. Sed Virgilius in vs. 51 scribere non potuit *Daphnim*, et in vs. 52, *Daphnin.* Coactus esse videretur necessitate metri. Tanta egestas non cadebat in tantum poëtam. Ergo nollem alios edidisse *Daphnimque* et *Daphnin.* Sed cur *tollemus ad astra*, et statim *feremus ad astra?* Exponi video per Anaphoram. At Anaphora, sive Epanastrophe, postulat repetitionem eorundem vocabulorum. Si Virgilius hoc voluisset aliter scripsisset, v. c. *Dicemus grati; Daphninque feremus ad astra;* ita recte sequeretur *Daphnin ad astra feremus.* Miror I. Caes. Scaligerum Poëtic. IV, 30, hoc non vidisse. Sed coecus amor Virgilii magnum virum sibi surripiebat. Laudat exempla Homeri: *καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε*, et Theocriti: — *τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος 'Ωιδᾶς ἄρχεο πρᾶτος.* Dicit Virgilium haec esse imitatum. Cur igitur ab exemplis deflexisset? Mutata verborum distinctio fortasse, quod nunc invenustum est, emendabit:

Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim
Dicemus: Daphninque tuum tollemus. Ad astra,
Daphnin ad astra feremus.

Maius est *ad astra feremus*, quam *tollemus* Daphnin, et repetitum *ad astra* vim addit orationi, augetque modestius *tollemus.* Hoc non sufficiebat. Nam Menalcas Daphnin ita celebravit, ut Deum fecerit. Wagnerus de versu 52 se aliquid dixisse in *Quaestionibus Virgil.*, hic indicat. *Quaestiones* istas nunc inspicere non possum. Gaudebo consensu Wagneri.

V. 58, 59.

Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

Daphnis in Olympo est. Ergo laetitia in agros redit, quae morte illius decesserat. Heynius, quam vim habeat *cetera* non intelligit. Mihi, etiam si nonnihil intelligi posset, humile et a spiritu, in his versibus conspicuo, prorsus abhorrere videtur. Schraderus, et ipse poëta et de poëtis egregius iudex, coniiciebat *secretaque*, *securaque:* ego,

Ergo alacris silvas, ecce, et per rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.

Alacris, nova subito voluptas per silvas et rura rediens, tenet pastores, et numina. *Silvas et per rura*, pro *per silvas et rura.* Virg. VI Aen. 692. *Quas ego te terras et quanta per aequora vectum.* Et Graeci. Callim. H. Apoll. 8. Οἱ δὲ νέοι μολπήν τε καὶ ἐς χορὸν ἐντύνεσθε. vide Herm. ad Viger. p. 854. *Ecce*, Servius interpretatur ad Aeneid. II, 270, *In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector*, dicens „hac particula utimur, quotiens aliquid repentinum volumus indicare: ergo *ecce*, subito est." ECCEETPER facile corrumpitur in ETCETERA, si praesertim ipsa Mss. nobis ante oculos ponimus.

V. 62—64.

Ipsi laetitiae voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!

Rupes et arbusta sonant carmina, quae audiunt, pastore cantante. Hic ipsa iactant voces laetas, laetum clamorem tollunt, quin ipsa cantant: *Deus, Deus ille, Menalca!* Haec autem verba, illa vox, non *carmina*, sed *carmen* constituunt. Quare verum puto:

ipsae iam carmine rupes
Ipsa sonant arbusta: Deus, deus ille, Menalca!

Ita *carmen* est, quod v. c. apud Lucam canit chorus angelorum: *αἰνούντων τὸν θεὸν καὶ λεγόντων Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώπῳ εὐδοκίας.* Haec non sunt *carmina*, sed *carmen*, *vox uniti agminis*, ut ait Iuvencus.

ECLOGA VI.

VI. 14, 15.

Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.

Iacentem et in vs. 16 *iacebant*, alios quoque offendit. Reliquitne ita Virgilius, emendaturus, simul atque animadvertisset, an librarii corrupere? Melius certe esset:

Silenum pueri somno videre sepultum,
Hesterno inflatum venas, ut semper, Iaccho.

VI. 16, 17.

Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Heynius *procul tantum* perite et fortiter impugnat, Wagnerus defendit. Lis quoque est de *gravis*, utrum cantharus *gravis* sit *vino plenus*, an *capax*, *magnus*. Burmannus *vino plenum* interpretatur. Sic notus Silenus? Incuria librariorum mille vocabula in omnibus scriptoribus transposuit, et error errorem peperit. His, suo loco redditis, saepe obscura illustrari possunt. Quid hic amplius requiras, si legatur:

Serta gravi tantum capiti delapsa iacebant,
Et procul attrita pendebat cantharus ansa.

Grave caput, est vino, si velis, et somno, gravatum. Ovid. III. Metam. 608. *Ille, mero somnoque gravis, titubare videtur.* Imitatio Nemesiani Eclog. III, 69 sq. non latet.

Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non aequis viribus hausit.
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.

Iam *tantum* et *procul* bene opponuntur. Serta capiti tantum delapsa, ergo ad latus vel pedes Sileni iacebant, et statim, sine motu, Deus ebrius ligari poterat. Cantharus autem *procul*, aliquo inde intervallo, prope, pendebat ansa, apta

ramo arboris. Sic X Aen. 836. — *corpusque levabat Arboris acclinis trunco. Procul aerea ramo Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.* Ubi Servius exponit: *iuxta.*

VI. 23, 24.

Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.

Nescio, quid ista significent. Audiamus primum, quid Servius afferat: „Sufficit enim, quia potui a vobis, qui estis homines, videri. Quod ideo dicit, quia Semidei, cum volunt, tantum videntur, ut Fauni, Nymphae, Silenus. Potest et aliter intelligi *satis est potuisse videri:* sufficit, quod talis vobis visus sum, ut etiam ligari possem."

Duplex igitur iam olim interpretatio. Prior parum habet, quo se commendet, altera, ni fallor, vulgo accipitur. Heynius dicit: *ut videamini me vincire potuisse.* Si hoc effici debet ex verbis *potuisse videri,* Virgilius hic pessima Latinitate usus est. Sed effici non potest. Oratio est elliptica, et simillima, quod ad *posse videri* attinet, Aeneid. V, 231. *Hos successus alit: possunt, quia posse videntur.* Quae facilem habent sententiam ex antecedentibus supplendam. Multa similia apud Virgilium et omnes scriptores exempla inveniuntur, ubi *posse* requirit alterum verbum, quod quivis legens statim ipse cogitat. Cortius ad Sallust. Iugurth. III, et LXIV, et alii ubique hoc genus dicendi satis illustrarunt. Oratio Sileni in Ecloga est supplenda: Quo vincula nectitis? Solvite me. Satis est, vos *videri potuisse, me nectere et solvere.* Sed pueri Silenum ebrium et dormientem aggressi, ligaverant: Silenus orat, ut *solvatur.* Quomodo satis esse poterat pueris, si *viderentur potuisse facere,* quod *fecerant?* Est apud Servium etiam tertia interpretatio: „*Solvite me pueri:* Quia putaverant eum corona ligari posse." Cur non poterat ligari corona? Ea sine dubio erat composita ex viminibus lentis, ut viteis. Silenus non eadem serta gestabat, quae pastores. Et, ut dixi, probe erat ligatus, alioquin non orasset, ut solveretur. Ipse potius vincula solvisset, nec passus fuisset, Aeglen procacem sibi videnti frontem et tempora moro pinxisse. Fortasse Virgilius scripsit:

Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit,
Solvite me, pueri; satis est potuisse vieri.

Viere, est antiquum verbum. Varro de L. Latina V, p. 68. ed. Speng. servavit exemplum Ennii: „*Viere* est vincire, a quo est in Sota. Ennii:

Ibant malaci viere Veneriam corollam."

Ipse Varro de Re R. I, 23, 5, utitur *viere* tamquam verbo consueti sermonis. *Sic alia et alio loco serunda, ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas, vallos, crates.* Pro *viere*, quod magis in desuetudinem abiit, vulgo usitatum *nectere, vincire, ligare.* Sed Virgilius sentiebat, quantum decoris et gravitatis interdum antiqua huiusmodi vocabula versibus adderent, quod omnes omnis aetatis optimi poëtae sensere, nec latuit Vondelium nostrum et Bilderdykium. Ergo nonnulla iam obsoleta revocavit. Atque hoc minus mirandum in Sileno, semideo, et agresti, cuius omnis oratio, ut in argumento vetusti temporis versatur, ita egregie colorem vetustae poëseos Romanae refert. *Solvite me, pueri; satis est potuisse vieri*, vincla mihi demite. Sufficit, puto, quod potui vinciri. Estote contenti hac poena, maiorem ne poscite. Silenus a vobis potuit vinciri; quid amplius vultis? Ea poena mihi, laus vobis, sat magna est. Elegantia est in verbo *posse*, ita posito. Ovid. XIII Metam. 349. *Pergama tum vici, cum vinci posse coegi.* Valer. Maxim. IV, 1. *M. Marcellus, qui primus et Annibalem vinci, et Syracusas capi posse docuit.* Seneca Epist. 24. *Desinam alligari posse, desinam mori posse.*

VI. 31—34.

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;

Poëtae interdum *terram* et *terras* sine discrimine ponunt, ubi nempe parum refert, singularis an pluralis praeferatur. In *terra* cogitantur omnes *terrae*, hoc est *regiones*, quas *terra* complectitur, in *terris* cogitatur *terra*, quam *terrae* efficiunt. Iudicium aurium saepe discrimen statuit. Longum est argumentum de singulari et plurali explicare, in quo pauci interpretes satis accurate versati sunt. Hic quidem *terrarum* mihi non placet. Atomi coactae sunt origo quatuor elementorum. Elementa sunt *terrae*, *anima* (aër), *mare*, *ignis.* Hic,

puto, verum est *terra*, non *terrae:* pro *terrarum* ergo scribendum *terrai.* Iterum antiqui aliquid in carmine venustissimae Latinitatis et incorrupti moris parentum, quem post Virgilium Ovidius et alii deseruerunt. Virgilius et alibi hanc genitivi formam adhibet, in *aulai*, *pictai*, caet. Ipse Virgilius tacite quasi ostendit suam manum. Nam ex hoc elemento *terrai*, pars mundi concrevit, et vs. 37, *terrae stupent novum solem lucescere.* Et Lucretius, quem ante oculos habuit, et quem meliorem potuit? Lucretius I, 713 sq.

Adde etiam, quei conduplicant primordia rerum,
Aëra iungentes igni terramque liquori;
Et quei quatuor ex rebus posse omnia rentur,
Ex igni, terra atque anima, procrescere, et imbri.

Et in vs. 722, de loco natali Empedoclis in Sicilia, a cuius finibus fretum *dividit terrarum oras.*

In sequentibus Virgilii versibus:

ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.

haec animadverti: Virgilius vs. 31 scripserat, *Namque canebat uti magnum per inane:* metrum postulabat *uti*, nec Latina lingua obstabat. Quod lingua ibi fert, fert etiam hic. Caussa igitur non erat, quominus hic scriberet: *uti his exordia primis.* Vestigium verae scripturae superest in nonnullis Codd. *ut in his*, corruptum ex *uti his:* nam *ut in* violat metrum. Praeterea *uti* est antiquius, quam *ut*, natum illud ex *uti*, et in multis versibus gravius et pulchrius sonat. Latina, ut omnis poësis, partim est Musica. Una litera versum saepe reddit canorum. Virgilius, qui aures haberet superbas, ut nemo, hoc probe noverat.

Quid dicam porro de *omnia exordia quae his primis concreverunt?* Hic tria, ni fallor, sunt consideranda: prima semina (atomi), semina coacta (atomi coactae, hoc est, quatuor elementa), orbis mundi (totus hic mundus). Atomi semper manent *prima semina*, *exordia*, *primordia.* Lucretius III, 31—34.

Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam variis distantia formis
Sponte sua volitent, aeterno percita motu,
Quoque modo possint res ex his quaeque creari.

et V, 430—433. — *quae conventa repente Magnarum rerum fiunt exordia saepe, Terrai, maris, et coeli.* Iam *prima semina* et *exordia* non differunt. Dixisset adeo Virgilius omnia *exordia* ex his *primis exordiis* concrevere. Sed sint *exordia*, quod putant, quatuor elementa, haecne *omnia* recte dicuntur? Locus omnino obscuritate laborat, tollenda, si legemus:

uti his ex omnia primis,
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.

In Servii annotatione legimus: „Epicurei, quos nunc sequitur, dicunt duo esse rerum principia, *corpus* et *inane*. Corpus volunt esse atomos. De his duobus principiis volunt quatuor ista procreari, ignem, aërem, aquam, terram; et ex his caetera: ut illa duo elementa, atomi et inane, sint: haec vero quatuor syntheta, id est, composita ex illis duobus, praestent originem aliis omnibus." Locus igitur ex meis coniecturis hic est:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terraique animaeque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; uti his ex omnia primis,
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.

Gravi et antiquo more, *his ex omnia*, pro *ex his omnia*, ut in hac ipsa Ecloga vs. 19, *iniiciunt ipsis ex vincula sertis.* Ubi *ex ipsis vincula sertis* noluit. Magna etiam vis in repetito *omnia.* Canebat Silenus, ut ex ipsis concretis seminibus, et quatuor elementa, et deinceps omnia, omnia, inquam, et ut brevi dicam, universa haec mundi pulchritudo nata sit. Quatuor elementa sunt ante mundum, sunt chaos, quando unus erat vultus naturae. Res nota vel ex Ovidio.

VI. 35, 36.

Tum durare solum, et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paullatim sumere formas.

Servius: „Canebat etiam, quemadmodum se durare coëgerit (l. *coeperit*) solum, et mixtam sibi ante aquam sua contractione discludere." Heynius, verbis paullum mutatis, sequitur hanc interpretationem; nec, credo, alia esse potest. Burmannus et Wagnerus tacent, nihil quippe videntes, in quo haererent. Ego fortasse tardus habebor, dicam tamen, quod sentio. *Nereus* est *aqua*, *pontus* est *aqua.* Intelligo quid sit, *solum discludit Nerea*, discludit pontum: discludit *Nerea ponto*,

non intelligo: nam *aqua* non discludit *aquam*, aqua non opponitur *aquae*, sed *terra aquae*. Horat. I Carm. 3. *Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras*. Ovid. I Metam. 22. *terris abscidit undas*. Ita Virgilius dicere potuisset: solum *abscidit Nerea*, pontum, Deus abscidit solum ponto, Nerei; abscidit *Nerea ponto*, quis ita loquitur? Mss. hic non variant, nisi quod in uno legitur *ponti*. Virgilius scribere potuit: *Tum durare solum, et discludere caerula ponti Coeperit*. Solum coepit se durare, et a se discludere aquam. *Caerula ponti, coeli*, est Lucretianum. Imitati sunt alii, ut Claudian. III Consul. Honor. 198. *freti caerula*. Virgilius adiectivo saepe utitur, ut *caerula aequora*, et sine substantivo *caerula*, ut *caerula verrunt*. Mirum si ab antiqua formula *caerula aequoris, ponti*, abstinuisset.

VI. 45, 46.

Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.

Iam olim in explicandis versibus haesisse videntur. Testis Servius, in cuius annotatione legimus: „*Amore* quidam pro *in amore* accipiunt. *Ah! virgo infelix*. Ad hoc pertinet, quod ait, *solatur*; ut, quod amat taurum, fortunae videatur magis esse, quam morum. (Servius hic cogitasse videtur Senec. Hippol. 144, de amore Phaedrae: *Nam monstra fato, moribus scelera imputes*). *Quae te dementia cepit!* Hic obiurgare magis quam consolari videtur. An, quia consolantis et hoc officium est, ut merentem strictim et obiurget." Heynius *solatur amore iuvenci* appellat „elegantissimam conversionem, pro eo, quod simpliciter erat, *Pasiphaës amores* canit, sic poëtae dicuntur *conqueri* eos, quorum fata canunt, sic *solari*." Videamus. Nota est orationis forma, a multis illustrata, v. c. a Burm. ad Propert. I, VII, 1, qua scriptores, praesertim poëtae, dicuntur ipsi aliquid *facere*, quod *ab aliis fieri* narrant. Ita mox Silenus sorores Phaëthontis *circumdat musco*, canit esse circumdatas, *erigit alnos*, canit alnos esse erectas. Ita, secundum Heynium, *solatur Pasiphaën amore iuvenci*, debet significare, *canit Pasiphaën se esse solatam amore iuvenci*. Sed hoc intelligi non potest, nisi Pasiphaë in amore iuvenci solatium invenisset alterius cuiusdam amoris, doloris caet. Sed neque de altero

amore constat, nec, si constaret, amore iuvenci se solari poterat, quia a iuvenco contemnebatur. Nec vero in cantu Sileni ulla est consolatio: Silenus contra deplorat et obiurgat Pasiphaën. Deplorat statim: *fortunatam, si nunquam armenta fuissent,* ergo infelicem, quia fuerant: et bis exclamat, *ah! virgo infelix.* Mox vehementer obiurgat, laudans Proetidas, non tam sceleste amantes. Caussa, cur Silenus eam *solaretur,* hic proficisci debet ab ipsa Pasiphaë. Ea ipsa suum *amorem* solatur. Si expressa vel tacita mentio Daedali esset facta, fortasse sic explicari poterat. Daedalus Pasiphaën *solatur amore iuvenci,* inclusam vaccae ligneae, et *suppositam furto,* ut est in Aeneïde. Verus non erat quidem amor iste, Pasiphaë tamen eo se poterat *solari,* et Silenus, hoc canens, eam *solabatur.* Sed huiusmodi interpretationes, quae non ipsae ex sententia loci profluunt, sed per multas ambages tandem coguntur, a Virgiliano more abhorrent. Legi potest:

Te, fortunatam! si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaë, in nivei miseratur amore iuvenci.

Pulchre, *te.* Silenus varia argumenta canit. Virgilius ea distinguit per varias particulas et verba, *tum, hinc, his adiungit, canit ut.* Nunc alloquitur Pasiphaën. Sic *et* elegantius omittitur. Ex PASIPHAEN — feci PASIPHAEIN, ex NIVEISOLATUR — NIVEIMISERATUR. Miseratur Pasiphaën *in amore,* tam tristi amore correptam, miseratur eam in statu isto. Tota haec pars carminis est miserabilis. Repetitum *ah virgo infelix!* et tandem ipsa querens et suspirans Pasiphaë testantur. Latinum est aliquem *in dolore, malis miserari.* Praepositio *in* explicari debet ex sententia loci, miseratur *propter amorem, cum amaret, quod ad amorem,* similia. Una atque eadem ratio omnibus locis minus convenit. Hanc igitur interpretes frustra constituere nituntur, ut v. c. Cortius ad Ciceronis Epist. I, 9, et alibi.

VI. 54.

Ilice sub nigra pallentis ruminat herbas.

Servius: „*pallentis,* vel aridas, vel, quae ventris calore propria viriditate caruerunt." Iuvencus *aridas* non carpit; herba viridi capitur, ut est in vs. 69: cogitatio amissae in ventre viriditatis, fastidium parit. Neutra significatio venustate Vir-

gilii digna est. Vulgo nunc accipiunt pro *virides*. Dubito an *pallens* sic pro *viridi* sumatur. Etiam si bonis exemplis probaretur, sumi, hic tamen mihi displiceret, quia *pallens* a pallido colore vix separari potest, isque *color* semper illum ventris calorem ante oculos trahit. Multo melius erat:

Ilice sub nigra pubentes ruminat herbas.

Ita Georg. III, 126. ubi pastores tauris vitulis secant *herbas pubentes*. Serv. „adultas, maturiores, quibus robur acquiritur." Heinsius ibi plura. Et notum est epitheton.

VI. 74—78.

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantribus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei narraverit artus;

Locus impeditus. Sunt in Mss. variae lectiones, sunt multae virorum eruditorum coniecturae. Ego quoque offendor istis: *quam fama secuta est.* Ita enim simplex aliquid, quamquam diversis modis, ter repetitur: de Scylla *loquitur* poeta, *fama* eam *secuta* est, Silenus *narrat.* Ergo poëta *narrat* quid fama narraverit, et quid Silenus *narraverit.* Offendunt et illa: narravit Scyllam, *succinctam latrantibus monstris, vexasse rates, et lacerasse nautas canibus marinis.* Latrantia monstra et canes marini sunt eadem animalia. *Monstra latrantia* vehementius est, quam *canes marini*, imago nautarum *laceratorum* est horribilior quam navium vexatarum. Quod vehementius est sequi solet id, quod minus vehemens est. Climax in eo servatur. Denique offendunt me *timidi nautae.* Conieci:

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, (quam forma secuta est
Candida succinctae latrantibus inguina monstris)
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Attonitos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei narraverit artus;

Quid loquar, ut Silenus narraverit Scyllam, (cuius forma propter laesam in Niso pietatem ita mutata est, ut formosa virgo in monstra latrantia desierit) vexasse rates, et canibus nautas lacerasse; aut quid loquar, ut Silenus narraverit mutatos artus Terei. Narravit igitur hic duas metamorphoses,

Scyllae et Terei. Pleraeque fabulae, quas Silenus cantat, habent argumentum formae mutatae. In Scylla poëtae formam saepe apponunt. Tibull. III, IV, 89. *Scyllave virgineam canibus succincta figuram.* Auctor inepti carminis, Ciris, conflati ex centonibus omnium poëtarum, Virgilii ante omnes, vs. 70. — *exactis speciem mutata venenis. Infelix virgo:* et 79. *Piscibus et canibus rabidis vallata repente Horribiles circum vidit sibi sistere formas.* Iam in parenthesi *quam forma secuta est* sola metamorphosis cogitatur, separata a crudelitate per *canes* adversus nautas commissa, et *monstra* illa fuisse *canes marinos* quasi per explicationem additur. Pari modo Ovid. XIV Metam. 59 sq. *Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo; Cum sua foedari latrantibus inguina monstris Adspicit: ac primo non credens corporis illas Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque Ora proterva canum.* Caeterum Romani, quum legebant *canibus lacerasse marinis,* imaginem sibi terribiliorem ante oculos ponebant, quam nos ponimus. Alii poëtae hos canes appellant *saevos, feros, diros, rabidos,* iisdemque *hiatum* tribuunt. Virgilius terrorem occupavit per *monstra latrantia.* Quod quum augere in maius volebat auctor Culicis vs. 330, ridicule dixit: *Scylla rapax canibus succincta Molossis.*

Pro *ah! timidos* in Mss. aliis invenitur *ita timidos, at timidos.* Fortasse poëta scripsit *attonitos.* Quam vim *ah!* habeat, non satis apparet; et *timidos* parum est in re tam atroci, qua Ulysses apud Homerum se nihil in omnibus periculis miserabilius vidisse affirmat. Et Homerus Odyss. M, 243. τοὺς δὲ χλωρὸν δέος ᾕρει. Ergo Scyllam adspiciebant δείσαντες ὄλεθρον. Servius: „*ah! timidos nautas,* nonnulli pro *timentes,* accipiunt, et bene, *ah! timidos,* ex dolentis persona." Apparet, iam olim de recta interpretatione esse quaesitum.

VI. 78—84.

Aut ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere laurus,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles:

Multa obscura. Dicam brevissime, quod fortasse faciat vel ad illustrandum, vel ad sententiam aliorum eliciendam. Silenus cantavit mutatum Terea in epopem, qui, post coenam illi a Philomela paratam, celeri volatu deserta petiit; cantavit Philomelam, quae mutata in hirundinem sua tecta supervolitavit: *quibus alis*, est in alis hirundinis. Philomela a Tereo distinguitur per *infelix*, ut ab Horatio quoque nominatur *avis infelix*. Tereus *infelix* dici non poterat. Accuratius Tereus et Philomela fuissent distincti, si Virgilius v. c. dixisset: *et quibus ipsa Infelix*. De Tereo, in avem mutato et deserta petente, etiam accepit Nemesianus Cyneg. 33. *Miratumque rudes se tollere Terea pinnas Post epulas, Philomela, tuas.* Illud *ante*, quod nunc legitur, vix, sed ne hoc quidem, explicatum est. Nec, credo, potuit. Equidem *ante* et *alis* transpono, et versus ita distinguo:

Aut ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus alis
Infelix sua tecta supervolitaverit. Ante
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere laurus,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles.

Silenus optimam cantilenam ultimo carmini servavit. Est quasi peroratio, et vinum harum epularum praestantissimum. Nec mirum, hanc cantilenam omnes alias suavitate superasse, cum non Sileni, sed Phoebi esset, quam ille, fortasse defessus, nunc repetit. Argumenta carminum fuerant, mundus, Pyrrha, Saturni regnum, Prometheus, Hylas, Pasiphaë, Proetides, Atalante, Phaëthon et sorores, Gallus, Scylla, Tereus, Philomela. His ille carminibus pastores mulcebat, sed *ante omnia*, Phoebeo carmine, olim ad Eurotam cantato, quod fortasse Apollini sublegerat. Hoc omnibus aliis erat praeferendum, hoc pulsae valles ad sidera repetebant. In hoc Silenus desiit. Et tempus erat. Nam *invito processit vesper Olympo*, et *iussit* pastores *oves* in *stabulis cogere* et *numerum referre*.

In his pronuntiandis, paullulum post *supervolitaverit* cessatur. Tum uno spiritu *ante omnia* efferuntur. Virgilius amat

ante omnes, ante alias, Ovidius praefert *super,* ut *super omnia vultus Accessere boni.* Putabat esse suavius. Sonorius est, non suavius. Ovidius, ut alia, ita et priscam versuum dulcedinem corrupit.

ECLOGA VII.

VII. 4, 5.

Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati.

Arcades, puto, non genere, sed quos ex Arcadia venisse diceres, ubi omnes pastores cantare et respondere parati sunt. Et sic Servius interpretatur. Quid autem *pares cantare?* Par bene compositum, ut Albinov. I, 301. *Par bene compositum, iuvenum fortissimus alter, Altera tam forti mutua cura viro.* Revera tamen non erant pares, certe non habebantur. Corydon praeferebatur, et, finito certamine, manebat Corydon. Servius: „cantare parati, pro parati ut cantarent et responderent, vel *pares parati,* quasi pariter parati." Miror, cur Virgilius non scripserit: *Et pariter cantare et respondere parati.*

VII. 11.

Huc ipsi potum venient per prata iuvenci.

Facilius: *Haec ipsi potum venient per prata iuvenci.* De iuvencis, quos potum agere debebis, securus esto. Ipsi per haec prata ad lacum Mincii istum vicinum venient.

VII. 16.

Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.

Legendum iudico:

Et certamen erant Corydon cum Thyrside magnum.

Corydon et Thyrsis erant certamen. Ita solent optimi scriptores, non tantum poëtae, ut putabat Munckerus ad Hygin. p. 23. Corydon cum Thyrside erat certamen, non accurate significat Corydonem et Thyrsidem utrumque certantes. Alter ab altero separari non potest, ut unus praesertim cogitetur. Notissima iam est loquendi forma, a multis illustrata, v. c. in Minerva Sanctii, ad Livium XXI, 60. alios. Librarii saepe pluralem mutarunt. Terent. Heaut. III, 1, 64. *Syrus cum illo vestro consusurrat:* ubi rectius in antiquis libris *consusurrant;*

v. Bentl. Similia sunt in ipso Virgilio. Porro eleganter dictum *Corydon cum Thyrside erant certamen.* Talia optime exemplis cognoscuntur. Suavissime Theocrit. Eidyll. XI, 10, 11. Εἴθ' ὁμαλοὶ πνεύσειαν ἐπ' ἀμφοτέροισιν Ἔρωτες Νῶιν, ἐπεσσομένοις δὲ γενοίμεθα πᾶσιν ἀοιδή. Sic saepe Latini poëtae: Illi, illae res mihi erunt *carmen.* Corn. Severus de Aetna, 1—4. *Aetna mihi, ruptique cavis fornacibus ignes, Et quae tam fortes volvant incendia caussae, Quod fremat imperium, quid raucos torqueat aestus, Carmen erit.* Ubi fortasse melius *erunt.* Propert. IV, 9, 15. *Herculis ite boves, nostrae labor ultime clavae.* Tacitus Hist. I, 1. *Initium mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Consules erunt.* Hinc explicandum puto, quod narrat idem Tacitus German. III. *Fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium, ituri in proelia, canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem Barritum vocant, accendunt animos.* Omnes interpretes, quantum scio, *haec quoque carmina* accipiunt tamquam *talia quoque carmina.* Mens Taciti, ni fallor, haec est: haec proelia quoque illis sunt carmina, argumenta carminum, quorum relatu, modulata recitatione Bardi animos ad virtutem incendunt. In proelium ituri, ante quam ipsae manus conferantur, in impetu, canunt Herculem, quasi primum et principem omnium virorum fortium. Illud *canere* erat fere nihil aliud praeter exclamationes, ex duobus tribus vocabulis compositas. Carmina non in ipso proelio, neque a multis, sed a Bardis singulis, extra aciem, etiam in pace, certe antequam in acie starent, canebantur.

VII. 18, 19.

Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere; alternos Musae meminisse volebant

Versus, *alternos Musae meminisse volebant*, tam difficilis et inficetus, ut Heynius veteri poëtastro tribuerit, et eiectum voluerit. Multa ante et post Heynium fuere tentata, ut saltem aliquâ intelligi posset. Frustra. Servius: „Multi *volebam* legunt ut sit sensus, optabam, o Musae, meminisse alternos, id est, omnia, quae dixerunt, tenere. Nam et in fine dicturus est: *Haec memini.*" In Medic. Cod. *volebant* et *volebam* vix discerni potuisse videntur. Conieci: *alternos Musae meminisse valebam.*

Pastores contendebant alternis versibus. Facilius memoriter tenere potui alternos versus Musae, cantus, carminis. *Musa*, ut Eclog. VIII, 5. *Damonis Musam dicemus et Alphesiboei dicemus*, hoc est cantilenam. *Valebam*, ut Eclog. IX, 57. *tacitus mecum ipse voluto, Si valeam meminisse, neque est ignobile carmen.* Et multo melius recordamur, quid dictum sit in alterna duorum oratione, quam in perpetua unius. Vix dubito, quin Calpurnius hic legerit *valebam.* Vide Eclog. II, 25. *Et nunc alternos magis ut distinguere cantus Possitis.*

VII. 23.

si non possumus omnes.

Acciperem tamquam *si nemo potest*, ut Graeci, sed Hebraizantes scriptores, *οὐ δυνάμεθα πάντες*, hoc est *οὐδεὶς δύναται*: sed exemplum simile non recordor.

VII. 25—28.

Pastores, edera nascentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Non puto, quod omnes putant, Thyrsin de se loqui: legendum puto — *ne vatis noceat mala lingua futuri.* Corydon dixerat: Musae, carmen mihi concedite, qualia facit Codrus. Si Codrum aequiperare haud possum, canere cessabo. Respondet Thyrsis. O, qualis et quantus poëta Corydon fiet! Maior Codro, qui par est Apollini. Pastores, cingite Corydonem edera, ut ipse Codrus ei invideat. Sed, si fortasse nascens ille poëta Codrum magis laudavit, quam ipsi Codro gratum esse potest, cingite Codro frontem baccare, ne lingua Corydonis, poëtae nascentis et vatis illius futuri, Codro noceat. In vulgata lectione et interpretatione multum est obscuri et contorti.

VII. 33—36.

Sinum lactis, et haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si foetura gregem suppleverit, aureus esto.

Hic etiam ab interpretibus dissentio. Heynius a pastore *ligneum* Priapum exspectaverat, Vossius Thyrsin maiora et in ridicu-

lum aucta promittere censet. Ex ligno dolatus erat Thyrsidis Priapus, ut omnes Priapi, vide Burm. Anthol. Latin. T. II, p. 487, et Thyrsis rem in ridiculum auxit. Sed auxit per *aurum;* Corydon dixerat, *Diana, tota stabis de marmore*, huic respondet illud, *Priapus erit aureus.* Nempe *marmoreus pro tempore* significat *ligneus.* Quia Corydon voverat Dianae statuam *marmoream totam*, cuius nunc tantum erat herma marmoreus, Thyrsis suum Priapum comparat cum Diana Corydonis. Tu, Priape, dicit, adhuc paucis esto contentus, sumus pauperes. Corydon habet hermam Dianae ex marmore: nos te nunc fecimus ex tali marmore, quale res nostrae et tempus ferebant, hoc est, *ex ligno*, nostrum illud marmor est lignum. Simillimus est iocus Iuvenalis Satyr. III, 203. *Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex, Ornamentum abaci; nec non et parvulus infra Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron.* Sub eodem marmore, ex quo abacus ligneus, quem divites marmoreum habebant. Adde suavissima illa Ovidii Metam. VIII, 668. *Omnia fictilibus, post haec caelatus eodem Sistitur argento crater, fabricataque fago Pocula. Eodem argento* quo erant vasa, apud divites ex argento, hic ex argilla. Multi in Ovidio praeferunt *argilla.* Alii *argento*, in quibus Douza, qui iam Iuvenalem adhibuit.

VII. 46.

Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra.

Umbra *rara* non facit ad defendendum calorem. Epitheton, meo sensu, prorsus a sententia totius loci abhorret. Postulatur omnino aliud, v. c. *grata.* Si in Mss. aliquo legeretur *gelida*, hoc esse Virgilii crederem.

VII. 61, 62.

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo.

Numina in simplice enarratione, quam arborem sibi elegerint, non ornantur epitheto. Nota est Phaedri fabula: *Quercus Iovi, Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea, Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.* Suavius iudico:

Formosa est myrtus Veneri, sua laurea Phoebo.

Poëta huic versui aliam formam dedit, quam praecedenti. Populus est gratissima Alcidae, vitis Iaccho, Veneri sua myr-

tus, Phoebo laurus est formosa. Myrtus *formosa est Veneri*, ut Graeci, Erotici praecipue, *εὔμορφος*, *καλὸς ἐμοὶ*, *formosus*, *pulcher*, *mihi*, meo iudicio, oculis meis: ut Tibull. IV, 13. *Tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe Formosa est oculis ulla puella meis.* Vitis grata est Iaccho, Iacchus amat vitem: Horat. *Donec gratus eram tibi.* Veneri sua myrtus est formosa.

VII. 69.

Haec memini. Ut vs. 19. *alternos Musae meminisse valebam.*

ECLOGA VIII.

VIII. 1—5.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus;
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.

Si quatuor priores versus huic Eclogae demis, initium mihi multo simplicius et pulchrius videtur. Et in ipsis versibus sunt, quae reprehendi possint. *Pastorum:* parum significat, est otiosum, et quod abesse malis. Nusquam Virgilius suos Tityros et Meliboeos ita appellat. In Eclog. II, 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexim Delicias domini, pastor* aliquid significat, nempe amabat *delicias domini*, quod pastorem non oportebat. Vide mihi Eclog. VI, 67. *Ut Linus haec illi divino carmine pastor, Floribus atque apio crinis ornatus amaro, Dixerit.* Heynius duplici modo accipi posse iudicat, vel pastor divino carmine, hoc est, divini carminis, vel *dixerit divino carmine.* Quid Wagnerus? „at displicet sic nude adiectum *pastor;* itaque prior ratio verior." Unice vera, amice et praeclare Virgilii interpres Wagnere! Sed hic tibi illa *Pastorum Damonis et Alphesiboei* non in mentem veniebant. Dicat aliquis, versus est tenuis et perspicuus. Haud nego. Titulus aedibus inscriptus, v. c. *Caius et Titius mercatores*, versus est aeque tenuis et perspicuus. Latini carminis est alia quaedam perspicuitas.

Immemor herbarum quos est mirata iuvenca. Ut modo *pasto-*

rum, metro flagitante, ita nunc *iuvenca* positum esse videtur. Quis non exspectasset *iuvencae?*

Quorum stupefactae carmine lynces. Iam Heynius nolebat *lyncas* in tali carmine esse memoratas, quod ad Siciliam pertinebat.

Et mutata suos requierunt flumina cursus. Flumina *requiescunt suos cursus*, active, Latinum est. Sed *mutata*, quis intelligat? Heynius *mutata suos cursus*, interpretatur *cursu mutato.* Sic autem flumen non *requiescit*, passive, sed alium cursum sumit. Wagnerus: „si sana hic sunt omnia, ad mutatam hoc naturam fluminum referam: quorum quum sit currere, *mutata flumina* accipe: quae, exuta natura sua, currere desierunt." *Natura* fluminum *mutata*, ut audiant brevem pastorum cantum, est, puto, nimia exaggeratio. Fluctus in simpulo. Neque ipse Wagnerus huic interpretationi multum tribuit, et coniecerat: *atque morata suos requierunt flumina cursus.* Quod sane melius est quam *mutata.* Illud *mutata*, quoquo te vertas, non potest separari a *requierunt cursus.* Si res coniectura restitui potest, praeferam: *Et remorata suos requierunt flumina cursus.*

VIII. 5—10.

Damonis Musam dicemus et Alphesiboei,
Tu mihi seu magni superas iam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris; en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?

Tu mihi: Quaeritur, quis sit ille *Tu?* Esse aliquem Virgilii amicum, bellica laude et amore poëseos insignem, satis apparet. Tales in Eclogis nominantur Pollio, Varus, et Gallus. Et Donatus, in Vita Virgilii VIII, narrat, eos in Bucolicis maxime celebratos, „quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis triumvirorum iussu trans Padum dividebantur, eum indemnem praestitissent." Iam Virgilius in Eclogis Pollionem, Varum, et Gallum nomine appellat, *Pollio, Vare, Galle.* Fieri potuit, ut in fronte Eclogae, quam iis mittebat, nomen posuerit, *Pollioni, Varo, Gallo:* nam ipse in Ecloga VI scribit: *nec Phoebo gratior ulla est,*

Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen. Vel sic tamen humanitas et consuetudo postulabant, ut in uno vel altero versu ipsum amicum alloqueretur. Itaque fecit. Haec autem Ecloga cui fuerit missa, plane ignoramus. Si Virgilius nomen aliquod praefixisset, sciremus ex Servio, vel Ms. In Mss. semper titulus additur, a Grammaticis quidem plerumque, si non semper confectus, sed nunquam necessarius, ut Eclogae IV *Pollio*, Eclogae X *Gallus.* Nam Pollio et Gallus in Eclogis nominantur. Titulus huius Eclogae est *Pharmaceutria*: ergo incertum, quis sit ille *Tu,* cuius laudes breviter tollit, quo iubente carmen scripsit.

Mihi: alia difficultas: tu *mihi,* omnino postulat verbum, a quo *mihi* pendeat. „*Mihi,* inquit Heynius, ex more abundat, et otiose interponitur." Ego semel dicam, nisi fortasse iam dixerim, illud *abundare* et *otiose interponi* nunquam potuisse cadere in Virgilium. Heynius etiam ad alia, enthusiasmum quoque, confugit. Melius Wagnerus *mihi superas* non otiosum putat, sed poëtam ita gaudium suum significare de reditu Pollionis (nam *tu* a plerisque habetur Pollio) et rebus prospere gestis. Hoc, inquam, melius. Sed tum, credo, Virgilius saltem scripsisset: *seu tu iam magni superas mihi saxa Timavi.* Sic otiosum paulo minus odiosum fit, non tamen ita tollitur, ut castigatam orationem agnoscas. Conieci:

Tu mihi ades, magni superas iam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris! En erit unquam,
Galle, dies, mihi cum liceat tua dicere facta?

Dicam, referam cantilenam Damonis et Alphesiboei. Huc ades, o Galle. Nam tibi cano. Iussisti talia carmina, nec vis tua facta a me cani. Quando erit, ut hoc mihi liceat? Gallus et alii periculosum arbitrabantur, res in bello gestas laudari. Tempora erant turbata, et hodie ille, cras alter victor. Omnia dubia. Talis prudentia ex multis Virgilii et Horatii carminibus demonstrari potest. *Ades* dicitur in desiderio absentis: ut *Huc ades o formosa puer, ades o Galatea.* Optat simul maturum Galli reditum, seu iam superaverat Timavum, seu mare Illyricum. *Seu* in priore membro saepe omittitur. Propert II, xx, 34. *Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.* Vide Gronov. ad Senecae Herc. Oet. 1260. Eadem ratio est

Graeci εἶτε, saltem apud poëtas. Denique dilata exspectatio diei maior est in *erit unquam dies*, ἡμέρα, quam in *erit unquam ille dies*, ἡ ἡμέρα, ut apud Homerum ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή. Ex pronomine *ille* feci *Galle*. Prima litera in nominibus propriis interdum in medio quoque carmine omittebatur, ut postea, colore ornata, adderetur.

Ios. Scaliger putabat hanc Eclogam esse scriptam Asinio Pollioni, alii Octaviano, alii Varo. Scaligerum plerique sequuntur. Magna quippe est tanti viri auctoritas, et quae leguntur, *facta, lauri victrices, Timavus, aequor Illyricum*, etiam *carmina* (si hoc est Virgilii) bene Pollioni conveniunt. Sed conveniunt etiam Varo et Gallo. In historia bellorum civilium semper multa sunt obscura et ignota, eorum praesertim, quae tunc gerebantur. Multi quidem scriptores exstitere, sed Augusto imperante; et quam pauci ad nos venerunt! Hinc non satis accurate disci potest, quae cuiusque fuerint partes, quid singuli, Imperatores, legati, quid ipse Pollio, quid Varus, Gallus, quid alii minorum ordinum praestiterint. Quum Virgilius hanc Eclogam componebat, rumoribus tantum aliquid acceperat de reditu illius, cui Eclogam scribebat. Si hic cogitaverit victoriam Pollionis, a Parthinis, populo Illyrico, a. u. 714 reportatam, cur Gallus isti expeditioni interfuisse non potuit? Pollio in epistola ad Ciceronem, X, 32, vocat Gallum Cornelium *familiarem suum*. Epistola scripta est a. u. 710, quo Gallus annos 22 natus fuit. Burman. ad Ovid. III Am. IX, 63. aetatem obstare putat, quominus tam adolescens Pollionis *familiaris* appellaretur. Ernestus non videt, quare. Et ego cum P. Manutio nostrum Gallum fuisse familiarem illum arbitror. Pollio erat poëta, Gallus erat. Uterque Musarum amore flagrabat. Hoc quantum ad conciliandas amicitias, illo inprimis tempore, valeret, ex multis documentis constat. Ingenium et natura Galli talis fuisse videtur, ut homines caperet. Amor Virgilii — *tantum crescebat in horas Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.* Quid autem Virgilium loquor? Augustus erat amicus Galli. Ovid. III Am. IX, 63. *Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici, Sanguinis atque animae prodige, Galle, tuae.* Gallus, ait Ovidius, etiam in valle Elysia erit, si falso accusatus est temeratae Augusti amicitiae, quam ac-

cusationem tam aegre tulit, ut se ipse interfecerit. Burmannus quidem non credit, *tam familiari appellatione Nasonem designavisse Augustum.* Burmannus non meminerat Suetonii in Augusto 66. Suetonius narrat Augustum amicitias neque facile admisisse, et constantissime retinuisse. „Gallo et accusatorum denuntiationibus et senatus consultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium: ceterum et illacrymavit, et vicem suam conquestus est *quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.*" Si ipse Augustus Gallum appellaret *amicum*, non erat, puto, cur Ovidius appellare vereretur. Aetas Galli sic constituitur: familiaris a Pollione appellatus, habebat annos 22, in expeditione Parthina, 27, mortuus, 40.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. Quae sola, super omnia carmina (Gronov. ad Senec. Hippol. 874.), decerent cothurnum Sophocleum, conscripta tam sublimi dictione, ut Sophocles sublimiore uti non potuerit. *Cothurnus* Sophocleus, Aeschyleus, *tragicus*, et simpliciter *cothurnus*, non necessarie tragoediam, sed grandem sonum in quovis carmine significat: *digna cothurno Sophocleo*, ut Eclog. IX, 35. *digna Varo et Cinna dicere.* Virgilius laudes poëticas Galli celebrat praecipue in Ecloga VI, 64 sq. ubi Linus ei tradit calamos Hesiodi. Gallus Euphorionis Chalcidensis carmen Latino expressit. Euphorio erat doctus, sublimis, nec facilis intellectu, quem Clemens Alexandrinus cum Callimacho et Lycophrone comparat. Suam quisque naturam sequitur. Virgilius et Tibullus Euphorionem non vertissent. Hoc magis in Catullum cecidisset, qui vertit nonnulla Callimachi. Nec Propertius a tali genere adeo abhorrebat. Gallus sua natura ad Euphorionem ferebatur. Ergo Latine vertit. Heynius in Excursu III, ad Ecl. X, 50, *Chalcidico quae sunt mihi condita versu*, putat Gallum Graeca seu Latine reddidisse, seu, quocumque modo saltem, imitatione expressisse; prius tamen illud tradidisse Grammaticos. Ego nullum inter rem utramque discrimen facio. *Latine reddere, vertere*, est, ita sequi exemplum Graecum, ut v. c. Plautus et Terentius Menandrum et alios, ut Virgilius, quamquam non in perpetuo carmine, Homerum, Hesiodum, et quos non? ut apud nos Bilderdykius, sua quis-

que exempla sequebatur. Iam in omni sublimi fere est aliquid, quod non statim ab omnibus perspicitur. Poëtae Alexandrini amabant sublime, ne dicam, tumidum. Cicero de Divin. II, 64. vocat Euphorionem *nimis obscurum*. Auctori Euphorioni imitator Gallus prorsus esse dissimilis haud potuit. Quinctilianus I, x: „Elegia Graecos quoque provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt, qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior: sicut durior Gallus." In Elegia ergo durior Tibullo et Propertio, et, quod ad metrum, et ad vocabulorum structuram et rerum perspicuitatem attinet. Tale scribendi genus habetur sublime, ut iam Propertianum. Si Gallus is fuit in Elegia, qualem oportet fuisse in vertendo Euphorione!

VIII. 11.

A te principium: tibi desinet.

Heynius: „*tibi desinet*, ex τῷ *dicere*, *ferre*, carmen, in te desinet; laudes tuae perpetuum meorum carminum argumentum erunt; ita simpliciter exponere malim, etsi dura oratio est." „Wagnerus: „Non est dura, sed commotior, atque haec *a te principium*, *tibi desinet* proverbii in morem dici, propterea que non nimis proprie accipienda esse, docet Vossius, collato Homer. Il. IX, 97. ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι." Sic duo optimi interpretes Virgilii. Alteri oratio videtur *dura*, alteri non dura, sed *commotior*: mihi, si quis tamen roget meam sententiam, tam *obscura* videtur, ut non intelligam. Nec *tibi desinet*, significat idem, quod Graecum λήξω ἐν σοὶ et εἰς σέ, quod est *desinet in te*.

VIII, 26.

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?

Nisa fortasse amica Galli, ficto nomine. Ergo argumentum simile illi in Ecloga X, in qua Galli alia amica, Lycoris, appellatur. De huiusmodi amicis multa in carminibus poëtarum leguntur, et sine dubio in ipsius Galli elegiis legebantur.

VIII. 27.

Iungentur iam gryphes equis; aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.

Vossius: „iungentur eidem currui." Omnes alii *iungentur amore*. Hoc verum puto. Ubi Nisa datur Mopso, omnia na-

turae contraria fient. Iam non est contrarium naturae, gryphas et equos eidem currui iungi, nam ferocissimae bestiae domari possunt et domabantur, tauri et elephanti eidem iugo submittebantur, quod notum ex circo; sed contrarium est gryphas et equos amore iungi. Et talem amorem omnes poëtae ad id, quod fieri non potest, referunt. Vel Horatius: *iuvet ut tigres subsidere cervis.* Ista vero *aevoque sequenti* Virgilium scripsisse non credo. Et ipsa sunt languida, nec maius est monstrum, (hic autem, certe non minus exspectatur), si damae cum canibus ad pocula veniunt, quam si *gryphes equis* nubunt. Quid scripserit Virgilius, ignoramus. Sed non est dubium, quin aliud simile exemplum amoris contra leges naturae apposuerit, v. c.:

Iungentur iam gryphes equis, cervique leaenis.
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.

Claudianus etiam, ut alios praeteream, *cervos et leaenas* coniunxit Praefat. II de R. Proserpinae:

Concordes varia ludunt cum tigride damae,
Massylam cervi non timuere iubam.

VIII. 32—34.

O digno coniuncta viro! dum despicis omnis,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,
Hirsutumque supercilium, promissaque barba;

Omnia ad contemtum solius Damonis referuntur. Male cantat, supercilium est hirsutum, barba promissa. Nihil in illius forma amicae placet. In *capellis* magis spectatur *pastor.* Conditionem pastoritiam ipsam despicere non poterat; nam alteri pastori nubebat. An legendum:

Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capilli.

Contemnebat Damonem, quia turpissimum et imperitum cantandi iudicabat. Pastor apud Nemesian. Ecl. II, 77 sq. se ita amicae commendat: — *nulla tegimur lanugine malas. Pascimus et crinem. Nec sumus indocti calamis.* Theocritus Eidyll. V, 91. *λεῖος ὑπαντῶν — λιπαρὰ δὲ παρ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα.* et XIV, 4. *ὁ μύσταξ πολὺς οὗτος αὐσταλέοι δὲ κίκιννοι.* Ovid. XIII. Metam. 844. *coma plurima torvos Prominet in vultus.* Cyclops se ita commendat Galateae.

VIII. 47—50.

Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater;
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.

Heynius duos postremos versus eliminandos esse iudicabat. Wagnerus rogat, quid, si non additi essent, faciendum vs. 48 — *crudelis tu quoque mater:* quod hemistichium tum demum locum suum posse tueri, quum proximos versus adiunxeris. Assentior Wagnero, quod ad hemistichium. Sed uno illo versu *Crudelis mater magis, an puer improbus ille?* contenti simus, alterum eiiciamus. Sic omnis oratio optime procedit. Crudelis amor matrem hoc scelus docuit. Ipsam quidem matrem esse oportuit crudelem, quae scelus committere potuerit. Sed uter magis culpandus? Eratne in matre plus crudelitatis, quam in puero improbitatis? Magister qui scelus docet, magis culpandus, quam discipulus qui facit. Hoc iudicium multo melius a lectore ex vs. 49 conficitur, quam a poëta in vs. 50 indicatur. Optimi scriptores saepe lectori iudicium relinquunt, neque omnia dicunt, quae dici possent. Noverant artem fastidii evitandi. Seneca Medea 933, hic magis est sobrius, quam solet: — *quod scelus miseri luent? Scelus est Iason genitor, et maius scelus Medea mater.* Parca quoque imitatio in Culice 291. *sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu.*

ECLOGA IX.

IX. 1—6.

L. *Quo te Moeri pedes? an, quo via ducit, in urbem?*
M. *O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,*
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi, (quod nec vertat bene), mittimus haedos.

Hi versus non uno modo distinguuntur, et explicantur. Mss. non habent diversas lectiones, nisi in vs. 3, *quo, qua, quam,* pro *quod,* et *quam nunquam meriti sumus!;* in vs. 5, *Sors,*

pro *Fors*, vs. 6, *bene vertat* pro *vertat bene.* Iam ante Servium visi fuere difficiles. Ego, quid opiner, paucis declarabo. In principio personae statim sunt mutandae. Nomina in Comoediis, Tragoediis, et in omni Dialogorum genere, saepe per incuriam librariorum iustum locum amisere. Et hic mutanda sunt nomina, et pro *an* legendum *ah!*

L. *Quo te Moeri pedes?* M. *Ah! quo via ducit, in urbem.*
O Lycida, vivi sq.

Quo te pedes? non est zeugma ex posterioribus, quod putat Servius, sed proverbialis locutio, in qua suum ipsius verbum cogitatur, *ducunt, agunt,* ut Graece, v. c. apud Theocritum, *ᾇ πόδες ἄγον.* Quod sequitur *ducit*, fortuitum est. Sequi poterat v. c. *quid tua refert?* tamen *quo te pedes* erat supplendum *quo te pedes ducunt, agunt.* Moeris autem Lycidae respondet tristis et iratus. Ah! pedes me agunt, quo via ducit, in urbem, ut scis et vides.

Vivi pervenimus, advena nostri sq. Magna difficultas. Interpretes omnia tentant. Omnia, puto, frustra. Fortasse et ego frustra tentavero coniecturam. Faciam tamen. Conieci:

O Lycida, vivus pereo. Impius advena nostri sq.

In huiusmodi coniecturis semper ante oculos ponenda est Mss. antiquissimorum scriptura, cuius similitudinem referre non possumus, sed longe sequi cogimur: VIVIPERVENIMUS nasci potuit ex VIVUSPEREOIMPIUS. *Vivus pereo*, ut Terentius Eunuch. I, I, 28. *Vivus vidensque pereo.* Cicero pro Quinctio: *Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.* Libens utor exemplo Terentii, scriptoris vera Latinitate, et Comici. Nam tota haec Ecloga, ut multae aliae, est Dramatica. Iam mutatus subito singularis in pluralem, *pereo, veriti sumus*, non modo animum pastoris commotum ostendit, sed etiam, ut in singulari, suam propriam moestitiam, ita in plurali suam et omnium in agro viventium calamitatem. *Impius* advena appellatur, ut in eadem caussa, Eclog. I, *Impius haec tam culta novalia miles habebit?* Ipse versus *O Lycida, vivus pereo. Impius advena nostri* non est mollis, contra, durus: ergo accommodatus rei et tempori. Virgilius positu verborum affectus loquentium saepe ita exprimit, ut nihil supra. Cui ignotum: *Illa, quis et me, inquit, miseram,*

et te perdidit, Orpheu. Orationem solutam diceret, qui aures non habet. Catullus quoque in hoc genere excellit. Bilderdykius et hoc non ignorabat.

In vs. 5 pro *Nunc victi* lego *Nunc vidi:* totum denique locum sic constituo:

L. *Quo te Moeri pedes?* M. *Ah! quo via ducit, in urbem.*
O Lycida, vivus pereo. Impius advena nostri,
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt, veteres migrate coloni:
Nunc vidi. Tristis quoniam Fors omnia versat,
Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus haedos.

Ita ex oratione impedita, feci expeditam. Cursus hic est: Id, quod nunquam veriti sumus, ut impius advena, possessor agelli nostri, diceret: haec mea sunt, migrate veteres coloni: id nunc vidi. *Quod nunquam veriti sumus* per se sola, quasi in parenthesi, sunt accipienda, ut saepe fit, v. c. *quod nemo exspectasset, quod inauditum* caet. Ex *quod* assumendum est *id,* saepe ab optimis scriptoribus omissum. *Id* post se habet *ut.* Terent. Heaut. II, III, 118. — *in eum iam res rediit locum Ut sit necesse.* Res Moeridi, quod nunquam veriti erant, in eum locum venerat, ut advena diceret, migrate!

Mutavi *nunc victi* in *nunc vidi.* Literae *ct, cl,* etiam *al* cum litera *d* permiscentur in Cod. scripturae praesertim Longobardicae. Cf. Gronov. ad Senec. de Ira 24. Markl. ad Statii Silv. II, 7, p. 253. Drakenb. ad Sil. Ital. II, 52. In Virg. VI Aen. 849, pro *ducent* in uno legitur *alicent;* quod quomodo factum sit Burm. se ignorare fatetur, immemor eorum, quae ipse ad Val. Flaccum VI, 747, recte de huiusmodi confusione annotaverat. Facillima igitur est mutatio *victi* in *vidi.* Et hoc ipsum *vidi* legitur apud Probum in Gramm. Instit. p. 1426. *Nunc vidi tristis quoniam sors omnia versat.* Burm. putat ibi vitio operarum sic esse editum. Ea de re nunc iudicare non possum. Si est vitium, est unum de felicissimis, qualia interdum typothetae committunt.

Nunc vidi. Tristis quoniam Fors omnia versat, Hos illi, quod nec vertat bene, mittimus haedos. Quoniam in tam misero statu versamur ut inimicissimos etiam donis nostris delenire cogamur, hos haedos isti advenae impio mittimus. Moeris

gestabat haedos, ut apparet ex vs. 65. *cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.* Hoc non cogitabat Burm. cum vs. 1. *Quo te Moeri pedes?* etiam accipi posse arbitrabatur, quasi Moeris temere, sine certo consilio, *αὐτομάτως*, quo pedes ducerent, ambularet. Qui ambulant onusti fasce haedorum, ambulant, ni fallor, certo consilio.

IX. 17.

L. *Heu! cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis*
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca?

Maior esset, et huic loco aptior, doloris significatio, si legeretur:

Heu! cadere in quemquam tantum scelus?

Notus est iste infinitivus. Terent. Andr. V, II, 28. *Nonne te miseret mei? Tantum laborem capere ob talem filium?* Iustin. VIII, 2. *Tantum facinus admisisse ingenia, omni doctrina exculta!* Post *heu tua* sq. etiam melius cogitatur *fuisse*, quam *fuerunt.* Quod ad *solatia*, recte, puto, Servius interpretatur „*tua carmina, quibus consolamur.*" Sequentia probant. Non enim, dicit, amisimus amicum modo Menalcan, sed in Menalca etiam optimum poëtam, qui nos, his praesertim temporibus, consolari posset. Fere est, ut Claudianum Praefat. II de R. Proserp. 1—4 Virgilium ante oculos habuisse credam.

Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumque diu seposuisset ebur:
Lugebant erepta sibi solatia Nymphae,
Quaerebant dulces flumina moesta modos.

IX. 27, 28.

Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.

Heynius annotavit: „Ut cycni poëtae sint, etsi illud aliis locis occurrit, vide ad Horat. IV, Carm. II, 25. vix video, quomodo commode fiat. Ita esset: poëtae Mantuani Varum celebrabunt: saltem dictum erit de uno Marone." Horatius Pindarum vocat *cycnum Dircaeum*, et Varium *alitem carminis Maeonii.* Sic Alcaeus dicitur *κύκνος Λέσβιος*, Anacreon Τήϊος, Virgilius *olor Mantuanus*, Horatius *Venusinus*, similia. *Cycnus* semper habet aliquid adiunctum, unde apparet cogitari homi-

nem, non avem: si non habet adiunctum, ex sententia loci intelligitur. Si hic v. c. praecessisset *Pollio et Gallus,* recte omnino sequeretur *cycni cantantes tuum nomen ad sidera ferent.* Nunc *cycnos* interpretari debemus ipsas *aves.* Atque hoc facit Heynius: „ut nemus aliquem canit, ut silvae et ferae lugent et celebrant, fontes et arbusta desiderant, ita nunc cycni concinunt in honorem Vari." Si quis omnia istiusmodi exempla colligit, videbit ea non hoc significare, quod Heynius nunc arbitratur. *Sylvae* canunt, est, *pastores* in silvis, silvae resonant nomen v. c. Amaryllidis, sylvae lugent, ramis vento motis, tristem sonum edere videntur: ferri poterat *cycni carmen Vari, cantantes, ad sidera ferunt:* ut alibi, *venti Divum referatis ad aures.* Sed *cycni* cantantes *nomen Vari* ad sidera ferunt, sunt aves, iudicio et ingenio praeditae, quae Varum sui carminis argumentum sumsere. Quo plura? Virgilium dedisse puto:

Cantantes sublime ferent ad sidera coeli.

Sic ipse I Aen. 259. — *sublimemque feres ad sidera coeli Magnanimum Aeneam.* Virgilius haud semel utitur eodem versu vel eodem hemistichio, sed semper unum alterumve vocabulum mutat. Pulcherrima est de illo more annotatio Heinsii ad Eclog. V, 37. Iam, credo, sententia apparet in luce. Tuas laudes, o Vare, si Mantua servabitur, Mantuani cantantes ad coelum tollent.

Pro *Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis.* in Mediceo scriptum erat *cupiant modo Mantua nobis,* sed deletum, et in *superent* mutatum. Fortasse illud *cupiant* fluxit ex recordatione Eclog. VI, 7. *qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant.*

ECLOGA X.

X. 4, 5.

Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Arethusa est fluvius, qui, ut Virgilius fabulam accipit, ex Elide subter mare in Siciliam venit. Iam fluvius semper a fonte fluit, non aliquando, non aliquo tempore et occasione, sed nunquam quiescit. Quapropter futurum *subterlabere* mihi

suspectum est. Discrimen futuri et praesentis temporis apparet v. c. ex ipso Virg. VI Aen. 873 sq. *Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!* Quum Anchises haec loquebatur, Tiberinus campum Martium praeterfluebat, et multa saecula praeterfluxit. Sed aliquando tumulum Marcelli, in campo sepulti, praeterlaberetur. Recte adeo *quum Tiberine praeterlabere.* Tali autem futuro hic non est locus. Requiritur tempus praesens in *subterlabere*, et indicativus modus, ut vs. 17: *quae nemora vos habuere, cum Gallus peribat;* quod *peribat* optime defendit Wagnerus contra *periret.* In uno Moreti legitur *subterlabare.* Hoc etiam tacite ostendit praesens indicativi *subterlabere.* Nam similis est error, qui in *peribat* et *periret.* In Cod. Medic. dividitur vocabulum *subter labere.* Unde quis haud temere suspicetur in medio aliquid esse omissum. Versus esset Virgilio haud indignus:

Sic tibi, quum fluctus subter, Dea, labere canos,
Doris amara suam non intermisceat undam.

Ubi *labere* semel acceptum erat in futuro, *canos* auctum oportuit syllaba. Nec facilius nec melius augeri poterat, quam, si *fluctus cani* fierent *Sicani.* Sane elegans h. l. epitheton, sed ex *Arethusa* ipsum *Sicani* intelligitur, nec tam necessarium est, quam indicativus in *labere*, Arethusa, olim Nympha, nunc flumen, recte *Dea* dicitur. Et supra Arethusam, quasi Deam, invocat. *Quum subterlabere*, tibi *subterlabenti.*

X. 39.

Et nigrae violae sunt, et vaccinia nigra.

Quod in Ms. quodam legitur *morae* violae, egregie refutat Wagnerus. Si verum esset, etiam *vaccinia mora* scriptum fuisset.

X. 44—48.

Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media atque adversos detinet hostis.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum!)
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides.

Interpretes in his explicandis multam operam posuerunt. Fortasse paullo melius intelligentur hoc modo constituti et mutati:

Nunc insanus amor duri Mavortis in armis,
Te procul a patria, (nec sit mihi credere, quantum!)
Tela inter media atque adversos detinet hostis.
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides.

Mutavi interpunctionem, *me Martis* in *Mavortis*, *tu* in *te*, *tantum* in *quantum*, quod erat in libro Barthii. Omnia ad Lycoridem referuntur, amor erat *insanus*, quia per nives et arma sequebatur amicum illum suum, ut Gallus *insaniebat* vs. 22, qui talem amicam amaret. *In armis Mavortis*, Martiis, bellicis. Amor iste te detinet in armis inter media tela atque hostes adversos, quasi et ipsa, quae tantum in castris versaretur, cum amico contra hostes pugnaret. Gallus ista exaggerat. *In armis* idem est quod in *bello*, *pugna*. *Arma* et *bella* saepe iunguntur, ubi nempe non erant perpetui exercitus, *arma* sine *bello* non erant. De *pugna* ipse Virg. II. Georg. 283. posuit: *mediis Mars errat in armis.* Ergo *in armis*, non necessarie significat *armata*. *Procul a patria:* atque utinam haud credere possem, quam procul, *quantum:* haud credere possem, quod narratur, te ad Alpes et Rhenum venisse!

X. 50—54.

Ibo, et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati.

Omnis oratio Galli mirifice imitatur affectum hominis, infelici amore correpti, et frustra reluctantis. Loquitur secum sui impatiens, et deliberat, quid optimum factu sit, ut ex angustiis evadat. Graeci poëtae et scriptores Erotici, nec minus poëtae Romani multas huiusmodi orationes admodum elegantes finxerunt. Omnes, quas memini, afferre longum est. Qui non hospites sunt in his literis, ipsi meminerint: meminerint etiam, ut isti homines in certamine λογισμοῦ καὶ πάθους tandem aliquid inveniant, quod animo fixum et immotum sedebit. Gallus noster hoc invenit, ut carmina Euphorionis, a se Latine reddita, in solitudine cantet, et feras venetur. Hic rogo quid significet *malle pati?* *Malle* quam quid? aliquid praecedat oportet, in quo expressum vel tacite

indicatum sit, quam viam, prae viis supra nominatis, nunc decreverit tenere et persequi: plura consilia postulantur, ex quibus unum *malumus*. Recte apud Terent. Eunuch. I, I, 20, 21. *Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo. Mori me malim.* Hoc est: *moriar potius, quam* illam amem. In Virgilio nulla est talis comparatio. Nullum praecedit consilium, quod nunc deserens, se abdere *mallet* in solitudinem. Quare Virgilius mihi videtur scripsisse:

Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Velle pati.

Velle pati non idem significat, quod solum *pati*, (interpretes saepe illud *velle* minus recte tamquam *abundans* adspiciunt) sed auget futuram capti semel consilii constantiam. *Certum est: ita sit: volo!* Seneca Thyest. 140. *Obstare primum est velle.* Graeci in tali deliberatione utuntur formula publica: δεδόχθω ταῦτα. Latini *volo, certum est, certus sum*, similia. Terent. Eunuch. I, II, 107. *Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum. Ita facere certum est.* Virgil. *Certa mori.* Ovid. IV Heroid. 152. *Et pugnare diu, nec me submittere culpae Certa fui: certi si quid haberet amor.* X, Metam. 428. *Certa mori tamen est, si non potiatur amato. Pati* est καρτερεῖν, *durare*, quid, in quo, omittitur. Egregie verbum illustravit Gronov. ad Senecae Thyest. 470. ubi h. l. Virgilii interpretatur: „καρτερεῖν ἐν ταῖς ὕλαις καὶ σπηλαίοις, malo sustinere duram et difficilem in antris et speluncis vitam.”

X. 60, 61.

Tamquam haec sit nostri medicina furoris,
Aut Deus ille malis hominum mitescere discat.

Si Virgilius haec recitaverit, recitavit sine dubio magna cum indignatione, quae legentibus ostendi poterat: *mitescere discat!* Quae nunc *mala* appellat, mox appellat *labores*, quamquam Heynius ad *venationem* refert. *Labores* et *mala* saepe idem significant, et in Mss. alterum pro altero invenitur.

Habes, amicissime Cobete, quae mihi, Eclogas Virgilianas legenti, in mentem venerunt. Neque ipse ea magni facio, ut nunquam mea feci: nec tu maioris facies, quam digna sunt. Subito confeci, vel potius effudi, quia tuum edendae

Bibliothecae tempus urgebat. Et nosti, quam procul hic ruri a consuetudine hominum, qui de literis iudicare possunt, remotus vivam, nec libros consulere potuerim, qui, praesertim in Germania, inter duodecim annos, in lucem prodierunt. Omnia ista mihi ignota sunt, editiones Burmanni et Ph. Wagneri solae praesto fuerunt. Si quid igitur animadverti, quod ab aliis animadversum est prius, illo consensu laetabor. Nullius autem consensu magis laetarer, quam Philippi Wagneri, quem tamen nescio vivatne an vixerit. Huius ego Germani accuratam et elegantem doctrinam ex edito Virgilio, candidum et amabile pectus ex multis olim mihi scriptis epistolis cognovi. Legi etiam, ut initio dixi, Georgica, et in chartam conieci, quod ad carmen illustrandum pertinere posse arbitrabar. Ista nunc addere Eclogis constitueram. Sed adhuc est rudis rerum eodem congestarum materies: nec sum, quod fui, measque me vires consulere et temperare oportet. *Omnia fert aetas, animum quoque*, vere dicit Moeris Virgilianus. Mirari igitur noli, si dixerim, scribendo me esse defessum. Vale, et fac, quod semper fecisti, me ama.

Hilversumi prid. Kal. Septembr. MDCCCLX.



HOMERI LOCUS CORRECTUS.

Mendosus est locus Homeri in Iliad. IX. 326 sq. ubi dicit Achilles:

Ἤματα δ' αἱματόεντα διέπρησσον πολεμίζων
ἀνδράσι μαρνάμενος ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.

Haeremus in *σφετεράων*. Poëtis Alexandrinis licet in talibus omnia permiscere, apud quos *σφέτερος* aut pro *ἡμέτερος* ponitur aut pro *ὑμέτερος* aut ad tertiam personam refertur. Homerus in talibus, ut veteres Critici loquuntur, *ἄπτωτός ἐϛιν*. Adde unam litterulam et simul Graecitatem restitues et metrum. Poëta enim dederat:

ἀνδράσι μ α ρ ν α μ έ ν ο ι ς ὀάρων ἕνεκα σφετεράων.

C. G. Cobet.